PUBLICATIONS

OF THE

CAXTON SOCIETY.

---

3. HERBERTI DE LOSINGA EPISTOLÆ.

EPISTOLÆ

HERBERTI DE LOSINGA,

PRIMI EPISCOPI NORWICENSIS,

OSBERTI DE CLARA

ET

ELMERI,

PRIORIS CANTUARIENSIS.

NUNC PRIMUM È CODICIBUS MSS. EDITÆ
A ROBERTO ANSTRUTHER.

Bruxellis.
VENEUNT APUD A. VANDALE, BIBLIOP.
LONDINII.
D. NUTT, BIBLIOP.
1846

TABULA.

FREDERICO, BARONI AB REIFFENBERG.

VIR INSIGNISSIME!

Quod prius opus apud Belgas exegi, Leopoldo I^mo, Belgarum regi (veniâ impetratâ) dedicavi. Hoc alterum, tibi, lubens offero. Quippe, qui litteras adeo fauste colueris, ut eruditionis tuæ fama per totam jam Europam perlata, patriam, tali cive præditam, illustrem effecerit. Tibi, parvo hoc nostrum opusculum documento, me, cæterosque meos in « Ultimâ illâ Thule » populares, insignium quæ tu in literas contulisti beneficiorum, neque inscios esse, neque immemores.

TUI STUDIOSISSIMUS

ROBERTUS ANSTRUTHER,

SCOTUS.

PREFACE.

Herbert, surnamed de Losinga, born in Normandy at a small village called Exmes (generally, but erroneously named Hiemes), in pago Oximensi, embraced the monastic life in the celebrated abbey of Fecamp, of which he became Prior. From Fecamp he was invited to England by William Rufus, and made Abbot of Ramsay, 1087.

Four years after, in 1091, he was appointed to the see of Thetford, which his economy had enabled him purchase. He also obtained the nomination of his brother Robert to the abbey of Winchester by the same scandalous means by which he himself had obtained the mitre, and

which gave rise to the following bitter satire against both :

Surgit in ecclesia monstrum genitore Losinga,
Simonidum secta, canonum virtute relicta.
Petre, nimis tardas, nam Simon ad ardua tentat;
Si præsens esses, non Simon ad alta volaret.
Proh dolor! ecclesiæ nummis venduntur et ære;
Filius est præsul, pater abbas, Simon uterque.
Quid non speremus si nummos possideamus?
Omnia nummus habet : quod vult facit, addit et aufert.
Re nimis injusta, nummis fit præsul et abbas.

The appointment of Herbert to the episcopal Bench gives us no very favorable impression of the character of this prelate; still, less the description of him by Harpsfeld, who portrays him as a man stooping to the very lowest and most servile flattery, which acquired for him the surname of Losinga, « a mendaci adulatione quâ se ad Regis, potentiorum, ad aliorumque non modo sensum et voluntatem, sed quasi nutum atque vultum turpiter blandiendo convertebat, Losinga dictus est. »

At length, regenerated by the Holy Spirit, he resolved to abandon a dignity acquired by such unhallowed practices. For this purpose he proceeded to Rome, where he deposed the emblems of his high office at the feet of the Pope, who evincing the greatest kindness towards him, res-

tored him to his see, as William of Malmesbury says « indulgentia clementissimæ sedis. »

Herbert on his return to England transferred the episcopal seat from Thetford to Norwich (1094), where he founded a monastery as celebrated for the numbers as the edifying lives of the monks. At Thetford he established the monks of Cluny. In this manners Herbert laboured strenuously to redeem the faults of his youth, often exclaiming with St-Jerome, « Eravimus juvenes, emendemus senes. » In the year 1102 he attended the national council which St-Anselm convoked in London in the church of St-Peter of Westminster, when several abbots of England were deprived of their dignities, which they had acquired either by simony, or dishonored by the irregularities of their lives.

During St-Anselm's sojourn at Lyons, on his return from his second journey to Rome, whither his quarrels with king Henry I[st] had compelled him to proceed, Herbert, with some other Bishops, wrote him a most urgent letter, pressing upon him the necessity of his presence in England, to put an end to the abuses in the church occasioned by his absence. These prelates declare to him that they are not only ready to follow him, but even to march first, and to sacrifice themselves, should he command the sacrifice.

Anselm replied to the Bishops, regretting the evils of which they complained and his joy that at length they recognised the miseries brought on by their too great forbearance.

From the moment the heart of Herbert felt the grace of the Holy Spirit, his whole life appears an untiring effort to efface the stain attached to his first appointment to the episcopal Bench; — his many good works, his zeal for the re-establishment of discipline among the priesthood, but too much addicted to lasciviousness and wantonness, his paternal solicitude in building churches and founding monasteries made, in the opinion of Barthelemi de Cotton—his name immortal. Thus, we may justly apply to him what Giles d'Orval said of Otbert Bishop of Liege—whose appointment to the episcopal dignity was quite as irregular as that of Herbert's : « licet aliunde quam per portam introirit, tamen indecora principia glorioso fine correxit. Præclara enim permulta regiminis sui tempore gessit. » But the praises of Herbert were not confined to Barthelemi de Cotton, for many eminent writers, both of his own and subsequent times have borne their willing testimony to his great worth.

The precise date of Herbert's death is variously given, but we are inclined to concur uith those authorities who fix it on the 22nd July 1119, in

preference to 1120, as asserted by Du Cange. Fabricius and others.

HIS WRITINGS.

With respect to the writings of Herbert, the following are ascribed to him by Possevin, Pitsée, Fabricius and the centuriators of Magdebourg.

1° A letter adressed to St-Anselm against worthless priests.

2° Eighteen sermons.

3° A treatise on the duration of time.

4° A treatise on the end of the world.

5° Letters adressed to various individuals.

We could have wished that the writers who ascribe these works to Herbert, had given us satisfactory proofs that they were truly his, and that instead of drawing up a simple list, they had preserved the bases on which their opinions were formed.

There exists in the catalogue of manuscripts in the abbey of Cambron two writings under the name of Herbert, « Herbertus de septem sacramentis, de situ terræ Jerosolymetanæ. » As we have not seen these works, we are unable to pronounce upon them.

Through the kindness of my Rev[d] and learned

friend Dr J. Allen Giles L. L. D., whose researches are so well known, and whose life of the venerable Bede would alone have ensured his reputation, I am enabled to edit the letters of Osbert of Clara and Elmerius of Canterbury.

Tho' all my efforts to throw light on the history of these ancient writers have proved unsuccessful, I trust the letters will not prove totally without interest.

I cannot conclude without recording my grateful acknowledgments to my friend Mons. Schayes, to whose kind assistance, I must in a great measure ascribe any success which may attend my editorial labours. R. A.

Brussels, 1845.

EPISTOLÆ

HERBERTI LOSINGÆ,

PRIORIS FISCANNENSIS IN NORMANNIA, ABBATIS RAMESIENSIS IN ANGLIA, ET PRIMI NORWICENSIS EPISCOPI.

EPISTOLA I. — AD NORMANNUM ÆDITUUM.

HERBERTUS NORMANNO ÆDITUO.

Tuarum assiduitate literarum meam conaris corrigere, diligende frater Normanne, negligentiam, qua eas quas meis amicis factitavi literas. non retinui, atque registri forma uno in corpusculo non collegi. Tuæ simplicitatis dilectio impavidis increpationibus merito meam ignaviam arguit, sed temporalium perturbationibus negotio-

rum distractus, tuæ correctionis censuram attendere hactenus minime potui. Idque mecum sæpius revolvo, ut qui juvenile robur perdiderim, ætatis ineptias senescentis non debeam annotare meorum successorum judiciis; quæ enim hactenus scriptitavi, omnia manibus elapsa meis perenni silentio sepelivi. Quid igitur exigis a sene quod neglectum condemnas a juvene? effœto corpore, marcet animus, nec tenui mentis vivacitate archana phylosophiæ penetrat, quem confractæ ætatis deliramenta incurvant. Abiit juventutis vigor et tædiosus torpor membra obsidet senilia; annositatem provectus ad sexagenariam, præteritarum articulos ætatum quos peccatorum sordes obscurant, successorum auribus audiendos minime judico; fatuum est enim verbis innotescere velle, quem præteritorum series actuum illustrem non reddit. Ridenda est illa Romani mimi facetia, a quo quum quæreretur cur Romam incendisset, intrepidus respondit: Quia bonis innotescere non poteram, innotesco vel malis. Hæc, frater, non est mea sententia, qui in privato potius tenebras peccatorum elegi deplorare quam publice faleratas orationes declamare; quoniam non eloquen-

tiæ nitor, sed mentis pœnitentia et pura verborum confessio reconciliant nos Deo. Unde et ego, frater, in præsenti vita sic volo fuisse, ut non remaneam risui; sic loqui eligo, ut nemini videar onerosus : non enim facundos et philosophos, sed idiotas et simplices noster Salvator elegit; unde est illud : Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam, et alibi : si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me. Hæc igitur, frater, diligenter attende, tuumque amicum continuis persuasionibus commone præterita peccata deflere, præsentem vitam corrigere, sanctis operibus insudare, non inanitate distendi verborum, quæ in nullis utilia sunt, nisi ad subversionem audientium. Hoc scio, exclamas, et alacri vultu nostræ verecundiæ triumphaturus occurris. Dicis inquam canonicos libros, et illustrium tractatus virorum sanctæ ecclesiæ omnino esse necessarios. Nihil verius; hi sunt ea luminaria quæ Deus in firmamento posuit, luminare majus ut illuminet diem, luminare minus ut illuminet noctem. Hii sunt eæ stellæ quas Deus in firmamento posuit (et) constituit ut luceant supra terram. Verum hæc,

frater, sanctorum sunt, et eorum in quibus loquebatur spiritus sanctus, quorum conversatio in cœlis est, et quibus ore ad os loquebatur Deus, et quorum pectoribus cænaturus mortem recumbebat. Talia nostris non intersunt qui sordemus luto libidinum, qui incentivis suffocamur passionum feralium, qui infestamur anxietate cogitatuum. Super quem, Deus inquit, requiescit Spiritus meus, nisi super quietum et humilem et timentem sermones meos? Spiritus sanctus effugit factum, et discedit a cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Quid circa, frater, veteranum amicum lacesere jam desine ad scribendum suasve scedulas ad præpalandum, quem, ut prædixi, ad bona opera facienda informare, et ad deflenda mala præterita debes continuo revocare. Non est æque sanctis et peccatoribus collatio; ut enim sancti sanctis moribus suam colorant doctrinam, ita peccatores impuritate vitæ suam deturpant loquacitatem; unde illud divinum recte proclamat oraculum : Cujus vita despicitur, necesse quoque est ut ejus doctrina despiciatur.

EPISTOLA II. — Ad fratres Theodfordenses.

Herbertus fratribus Theodfordensibus.

Ego quidem, Domini mei, obedientem consecrationem atrii vestræ novæ ecclesiæ facerem; sed, amici mei, id fieri non laudant sine scientia et voluntate regis, ne facta consecratione novi atrii, de consuetudine atrii veteris ecclesiæ inter nos discordia oriretur. Audita enim hujusmodi vel levi commotione inter nos meæ temeritatis merito rex irasceretur, qui imprudenti præcipitatione finem, quem ipse fecerat, perturbassem. Unde, obsecro, patienter expectate donec cum rege sive cum justitiariis ejus loquar, quoniam consecrationem quam exigitis, non aliter incipere præsumo; aut si translata libertate ad novam ecclesiam in veteri ecclesia, absolute et sine verborum involucro mihi antiquas episcopales consuetudines restitueritis, tunc, ego, sine timore incunctanter vestris in jussionibus obedirem.

EPISTOLA III. — Ad Willelmum capellanum

Herbertus Willelmo capellano.

De matrimonio sororis vestræ non aliud

respondeo vobis, quam id quod præsens ex ore meo audivistis, suo videlicet ut vivente viro. secundum evangelium et secundum sanctorum canonum usum, alii viro nubere non potest. Unde vestram obsecro religionem, ut hac in re consuetudinem sancti evangelii, cujus sacerdos estis, et non voluntatem muliebrem, respiciatis: quoniam mea sententia avelli non potest in hujusmodi negotio a lege Christi mei.

EPISTOLA IV. — Ad Hugonem priorem.

Herbertus Hugoni priori.

Mittite nobis encaustum et unam sive duas pelles de pargomento; plura dixissem, sed sufficit amanti dicere amato quod necessarius est.

EPISTOLA V. — Ad Rogerium abbatem Fiscannensem.

Herbertus Rogerio Fiscannensi abbatti.

Ex utero Fiscannensis ecclesiæ genitus, non indigeo meam vobis commendare obedientiam, cum ejusdem ecclesiæ nostrum alter sit pater, alter filius; id unum obsecro, ut me ametis sicut pater, et mihi præcipiatis sicut abbas; quoniam

et ego vos redamare sicut filius, et vobis desidero obedire sicut monachus. Suetonium, quem in Anglia invenire non possum, facite transcribi et transscriptum mittite mihi per Dancardum presbyterum, vel per alium quem volueritis servientem.

EPISTOLA VI. — AD NORMANNUM ÆDITUUM.

HERBERTUS NORMANNO ÆDITUO.

Sunt, ut audivi, qui meam abhorrent vehementiam; qui mearum disciplinarum accusant asperitatem; qui etiam divinis detrahunt judiciis, predicantes leve quod grave est, judicantes veniale quod Deus usque quaque abhominatur. Ii suis procedant e latibulis, aciem dirigant, arma proferant, aperte dimicent, hosti resistant, spicula jaciant, non linguas accuant; ut si timent procedere, discant tacere, linguas refrenare, veritati succumbere; nostra enim arma non homines persequuntur, sed peccata, nec victis præparant captivitatem, sed resurgentibus largiuntur libertatem. Vide, frater, quo mea procedat intentio, et quibus cupio te instrui disciplinis. Imperatori militamus cui omnia serviunt, cujus severitatem terra

et infernus venerentur. cujus aula nulla vetustate absumitur, nulla immunditia decoloratur. Ei igitur servimus qui ubique est; ibi servimus ubi nihil immundum est. Choruscantes gemmæ et micantia metalla ipso sole ineffabiliter clarius fulgentia inhabitantium detegunt corda, produnt occulta, remunerant sancta, condemnant probra. Nulla ibi vestita vel clausa ubi ea lux fulget quæ illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum, cujus tanta claritas est, ut pertingat usque ad divisionem animæ et spiritus. Ibi illa immortalis ara ad quam desideras ascendere, cum angilis deservire, cujusque participationi sociari quæris. Suspice altaris excellentiam. et respice tuæ carnis infirmitatem. Hoc in altari mactatur Christus; hoc in altari Christi corpus et sanguis conficiuntur, panis, inquam, verus qui de cœlo descendit et præbet vitam mundo. Attende evangelium et ejus informare veritate : Si offers, inquit, munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque munus tuum ante altare et vade reconciliari fratri tuo, et tunc veniens, offeres munus tuum. Non igitur audes offerre munus non

paccato proximo, et audebis offerre irato Deo? Eamus, frater, eamus, cordis contritione et fletuum amaritudine divinam reconciliationem requiramus, mensæque immortali immortalia munera mundatis manibus offeramus. Habeamus præ oculis et apostoli doctrinam et evangelii historiam; sic enim clamat apostolus: Qui enim manducat et bibit indigne judicium, sibi manducat et bibit non dijudicans corpus Domini. Et Evangelium: Judas, inquit, post acceptam buccellam statim exivit et tradidit magistrum, sed quem nesciebat Deum. Nos, vero, qui eum et Deum scimus, et ejus corpore saginamur, ejus severitatem Judicii timeamus, severitas enim ejus metuenda, et judicia Abyssus multa. Fuerunt enim, frater, fuerunt illa obscena tempora, pene ab orbe condito usque ad adventum Salvatoris, quibus ignorabatur Deus, et immundi colebantur spiritus; immundorum templa spirituum immundas exigebant hostias, quæ non nisi ab immundis poterant exhiberi sacerdotibus in templis; Mercurii furta et Jovis adulteria solenni celebratione venerabantur et scenica scurrilitate representabant in theatris. Hæc erant illa obscena et abominanda sacrificia, quibus immundi

Dæmones pascebantur, et infelices homines fallebantur, suorumque ad imitationem numinum astuta malignitate informabantur. Venit Salvator et fana profana subvertit, Dæmones expulsit, expulsos alligavit, atque ineffabili triumpho suos coheredes æternæ restituit civitati. Ardet Jupiter perpetuis condempnatus incendiis, ardet Venus, et ipsa igneis alligata catenis; et, qui mundo abrenunciavit, et Christum secutus est, luget Adonidem et Ganymedem colit. Væ ignominiosæ turpitudini et sulfuri flagranti his qui sacro baptismate extinctas deletarum urbium resuscitare nituntur favillas. Non nostræ excidant memoriæ illarum arabum urbium, quas antiqui Pentapolim appellavere, exitia, quarum intuentes conflagrationem, imitari exhorreamus exemplum. Hiis, ut refert Pompeius interim, ut de nostro Moyse taceam, ex frugum varietate abundantia, ex abundantia luxus, ex luxu illa abominabilis inolevit libido, quam Deus tanta exterminatione delevit, ut non solum homines, sed etiam urbes et terras quas incoluerant homines, perpetuis conflagrationibus contraderet, futura prædocens sæcula, ne eorum imitarentur flagitia, quos tali animadversione

puniri recordarentur. Et vide subtile sacramentum : eo tempore protelatam esse ultionem incesti sororum cum patre impudicarum, quo prædictas urbes incomparabilis animadversio subvertit excidii, ut intelligas omne peccatum esse minus eo peccato quo conflagrabant illæ, non urbes, si (sed) officinæ prænotatarum turpitudinum. Certe originalis mundus, etsi ejus intolerabilia fuere delicta, non tantum est submersus quantum est ablutus, et illis originalibus maculis nostri figura lavacri emersit baptizatus. Post illa, inquam, et originalia peccata, et velut originalia supplicia, terra fœcunda apparuit; vestita est herbis, colorata est floribus, variata est arboribus suisque omnium generum repleta est animalibus. At iis in infamosissimis locis ut culpa horribilis, ita et pœna incomparabilis, adeo ut non ibi terra, sed palus appareat stygia, lethale bitumen, noxium omni animanti, tartareus fœtor, singulare malum super terram. Harum igitur elegationum prolata necessitate prudens calligat animus, quantum oboriatur periculum ea in sanctis renovare ecclesiis quæ noster Salvator in profanis delevit templis. Subversa sunt fana, contrita sunt idola, immundus

dæmonum periit cultus; abrasa est illa fœda et et abominabilis fornicatio gentium, et Dominus in eternum permanet. Gulosos ventricolas appellat Apostolus; quare et libidinum sectatores libidinicolas non diceremus? Fallitur sua impuritate carnalis delectatio. In domo Dei duobus Dominis non servitur. Amator Dei contempnit libidinem, sectator libidinis nescit Deum. Sua eliminat ab ecclesia filius virginis prodigiosos herma froditos, nullam eis viventibus Christianæ communionis gratiam relinquens. Is igitur severissimus judex et præsentissimus inspector qui de patre sine matre, et de matre sine patre, incorruptibiliter conservata virginitate, processit, nobiscum est, suorumque abactione fidelium nulla intercapedine separatur; sic enim ascensurus ad patrem, suorum mœstitiam amicorum blanda elocutione consolatur : vobiscum, inquit, ero usque ad consummationem sæculi.

EPISTOLA VII. — Ad Stephanum priorem.

Herbertus Stephano priori.

Quædam negotia oboriuntur mihi, quibus cogor vestri atrii accelerare consecrationem; timeo enim ne si iterum prolongarem eam, magis in-

genio quam necessitati meæ imputaretis. Unde, secundum vestram voluntatem, die Dominica, et capellæ et atrii vestri agatur consecratio, et hoc facite proclamari in vestræ vicinitatis circumjacentibus, impuriis hoc præcedenti quatriduo.

EPISTOLA VIII. — Ad Willelmum monachum.

Herbertus Willelmo monacho.

De donanda silva Torpi infirmis vel aliis hominibus nihil tibi præcepi, nec præcipio neque præcipiam; custodem enim silvæ te constitui, non extirpatorem. Infirmis autem non ligna, sed denarios donabo, quum venero Norwicum, sicut feci præterito anno. Responde iis hæc, nihil aliud. Tu vero custodi silvam sanctæ Trinitatis sicut vis custodiri a sancta Trinitate, et habere meum amorem.

EPISTOLA IX. — Ad Ottonem et Willelmum.

Herbertus Ottoni et Willelmo.

Tædet me vestrarum morarum, et valgiantibus buccis vestræ ignaviæ torporem et inertiam reprehendo. Quousque in sedulis delitescitis? Magna quidem sunt sacramenta sedulii, sed ea Matthæus et Marcus, Lucas et Joannes luculentiori exsequuntur stilo. Solidus cibus est evangelicus

sermo et perfectis moribus conservandus. Ætas tenera lacteis alitur alimentis, et inter lascivientes fabellas teneræ puerorum mentes urbanas locutiones et subtilium orationum compositione sinseparabiliter imbibunt. Expergiscemini, præsentem terminate lectionem, me ordinante, deinceps in Poetarum florentibus pratis amœna alacritate deambulaturi. Est tamen quoddam præcessurum, quod nullatenus vestram volo celari vigilantiam. Reddituri mihi estis corde prius Donatum. declinationes. conjugationes. voces. serviolum. pedes et omnes grammaticæ regulas. quibus vos instruxi toto isto anno. humili vobiscum sedens in subsellio. Hoc igitur vobis prescribo. ut præparatis responsiones vestras futuræ ratiocinationi vestri examinis.

EPISTOLA X. — Ad Ricardum abbatem.

Herbertus Ricardo abbati.

Quorum fluctuum difficultatibus præsens annus meæ infirmitatis cymbam quassaverit, non vestram arbitror latere paternitatem, quae in littoris securitate sedens, et meæ navigationis laborem et naufragii perspectavit asperitatem. Multa concurrerunt incommoda, sed ea vehementiori amaritudine meam animam affligunt quæ meo

amori meorum amatorum redamorem subripiunt. Dira crudelitas et ipsis undis intolerabilior, in conversione rerum et amicitiam converti factus sum peregrinus filius matris meæ et ab amicorum illuminor oculis, quibus incolumis et voluntatis compos fragrabam dulcissimus. Sic se habent humana ingenia, sic humanorum animorum inconstantia alternatur. Sola in rebus nostris colitur felicitas; ea abeunte, aufugiunt universa; solus amatur habens; suarum privatus facultatum, ignoratur; plane verum est illud poeticum : Cum fueris felix, multos numerabis amicos; tempora si fuerunt nubila, solus eris. Multa declamarem, et digna eructuarem convitia, sed refrenabo stylum, et armatam continebo linguam, ne videar in vos invehi vestramve carpere dissimulationem, qui præsenti anno non vidistis amicum, vestra videlicet viscera, nec vestris salutastis litteris, nec vivo confovistis sermone. At ipse in vobis et vos in ipso tanto fœdere condescenderatis, ut hæc animorum unitas nullarum adversitatum perturbationibus dividi debuerit. Verum, jam respirantibus auris lætioribus, et nostrarum cursu rerum reformato ad meliora, invito, resumite spiritus, ves-

trum recognoscite amatorem, et obliteratis præteritis, meus reviviscite, et reformamini amicus qui olim in meo et in cujus ego totus requiescebam pectore. Mittite mihi Josephum, de quo frequenter fecistis excusationem propter dissolutionem libri. Nunc autem correcto et ligato libro, nulla vobis relinquitur excusationis compositio. Epistolas Augustini et Epistolas Hieronimi, vel alteras vel utrasque, accommodate mihi; hoc magnopere ut faciatis obsecro; sed id obnixius, ut alterum de lectionariis quos noviter vestra diligentia ordinavit, accommodetis mihi.

Ad hæc exigenda mitto vobis Gregorium vestrum, et filium et servum, qui et quædam in litteris meis tacita indicabit vobis, et mihi vestram reportabit responsionem.

EPISTOLA XI. — Ad Henricum regem. Domino et Regi suo Henrico Herbertus suus Norwicensis sacerdos.

Ago gratias vestræ munificentiæ, optime Rex, et vestræ patriæ pater. Ago, inquam, gratias, et tot gratias, quod meæ animæ gaudia fuerunt in suscepta consolatione vestri muneris. Regale quidem munus erat, et tanti largitoris dignum,

meoque sufficiens desiderio, sed eo ampliori gratia et alacriori jucunditate exhibebatur, quod inter militares tumultus et bellicos apparatus, atque inter Regalium negotiorum curas et sollicitudines, vestra Celsitudo meæ parvitatis alio in orbe memorata fuerit. Huic igitur quid retribuam gratiæ? Ego vester, et omnia mea vestra sunt, et vobis de vestris continuo serviendum, etiamsi novi muneris nulla arrideret accumulatio; unde ergo mihi aliena tantis beneficiis responsura plane nulla, omnia quippe mea vestra ex gratia collata sunt et vestra tuitione conservantur. Quod igitur rebus deest, vota suppleant et jugis oratio representet quod facultatum impossibilitas negat; ante igitur dominici corporis et sanguinis quotidianum sacramentum lachrymis, interminis deprecationibus nostri Redemptoris et Salvatoris exoro clementiam, ut qui vestrum in cor mei immisit recordationem, idem vobis dignam vestræ mihi collatæ gratiæ restituat retributionem. Et Rex Regum qui ab hominibus propter homines, archano humanæ redemptionis consilio, ineffabili patientia spinis coronari voluit, iisdem inter suos Constantinos, Theodosios, Gratianos aliosve sane

fidei Imperatores ac patricios, post diuturnos felices annos, in triumphantium gloria Sanctorum, in cœlestium curia senatorum, in sublimi throno, in æterna amœnitate, in suæ conspectu præsentiæ, in generali beatorum splendore, terrenæ conversationis excessibus absolutam, vestram coronet animam diademate impassibilitatis, vestram ultima in die renovaturus et investiturus carnem gloria resurrectionis et stola immortalitatis.

EPISTOLA XII. — AD NORMANNUM ÆDITUUM.

HERBERTUS NORMANNO ÆDITUO.

Humanorum immemor casuum, velut improvidus gubernator in peregrinas barbarasque regiones delatus sum. Credidi auræ leni, et tranquillum pelagus meam fefellit temeritatem. Cirtes ignorabam et latentes scopulos non præcavi, adderant piratæ et nesciebam, et fracta sentina latex ingrediens, fragilem summersit cimbam. Non Charibdin non Scyllam evasi, iisdem absorbtus, sed nondum ab iisdem evomitus. Auræ lenitas et æquoris jucunditas commutatæ sunt. Impellor flatu immaniori affrico et pertumescentes fluctus excurrens Palinuro illidendus, meam jam

proximam mortem prospecto. Hic dolor, hic lamenta, hic omnium ultima malorum execrabilis desperatio. Heu mihi! a quibus evulsus sum littoribus, et in quæ perditionis naufragia mea infelicitas illata! Juventutis et senectutis meæ studium evacuatum est. Quas vigiliis, algoribus caumatumque squalloribus collegeram divitias, uno naufragio amisi. Fracta navis vestes et margaritas omniumque rerum nobilium comertia perdidit : habet mare divitias quas collegi, possidet hostis barbarus sumptuosas exuvias quas contexui. O vitæ humanæ infelicem sortem! O rerum mortalium abominandam commutationem! Fulgebam opulentus, et deliciarum omnium eructuabam abundantiam; ecce vilis naufragus sedeo, et alga peregrinarum arenarum ejectus, mei servitii gladios barbarorum impendere video. Et revera, quanto excellentiora et dulciora perdidi, tanto graviori et tetriori conficior luctu; mihi dies tenebrosa convertitur in noctem, et nox insomnis convertitur in lugubrem diem.

Concidit spes revisendæ patriæ, et alieno expositus solo, mori vivere, vivere mori commuto. Conceperam, pepereram, dulcius maternis uberi–

bus collactaveram. Amplectebar cunas. altricis forma sedens in sterquillinio et intimis ex visceribus lac extrahens, vagienti foetui sufficiens præhebam pabulum. Vere, inquam, meos cibos in carnem, meam carnem in sanguinem, meum sanguinem convertebam in escam, meis, ut dixi, ex visceribus meis conceptibus sufficientem alimoniam præparans. Unde conquerar? Imprecabor ventis? At ego imprudens parvam et onustam navem inexpertis commisi flatibus. Discernenda temperies, et nubium inconstantia pernotanda foret. Dira navigatio, sed ea magis cui inconsultus præsidet gubernator. Homo inconsulte. quare peregrinarum nationum accusas pericula?

Quare mundi condempnas elementa, et non potius tuam redarguis conscientiam, qui thesauros quos tanta amaritudine defles, virili cautela non conservasti? Exhortus est sol in conscientiæ tuæ latibulis, et quas exterius somniabas, intus in anima tua tuarum lachrymarum abyssus reperisti. Abeant rerum extrinsecus accusationes: nulla maris, nulla Scyllæ vel Charibdis condemnatio mihi. Jesu bone, tua commendaveras sacramenta; mihi tua revelaveras arcana; vivos latices

quibus sordes mentium abluuntur, conservabam; tui spiritus distributiones subministrabam, tuum corpus et sanguinem conficiebam. Hæc quidem magna, et meæ peccatoriæ animæ omnino indigna. Tu tuæ ecclesiæ fundamentum posuisti, parietes erexisti, tectum desuper compaginasti; ex te mihi omnia bona, ex meæ imprudentiæ incuria, præsentia mala mihi obhorta sunt. Verum, jam castigata digressione, anima mea ad tuas lachrymas revertere, tuisque conciatibus delectare. Maneat in te dolor quem infigat Christus, manent lachrymæ quas irriget Spiritus Sanctus; clamor cordis cœlum penetrat, et pietatis fletus divinæ clementiæ portas reserat. David et Petrus uterque peccaverunt, uterque pœnitentiam egerunt, uterque lachrymis peccatum suum deleverunt: unde et David in regno, et Petrus in apostolici senatus considet solio. Vere mitis Dominus, qui dixerat ante negationem : quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, eidem adjecit post negationem : Petre, pasce oves meas; ut ostenderet Petrum non perdidisse gratiam ob timoris negationem, quam ante promeruerat ob confessionis veritatem. Hæc tibi, di-

lectissime frater, compendiose perstrinxi, ut intelligas et delinquentibus exhibendam severitatis disciplinam, et pœnitentibus adhibendam misericordiæ mansuetudinem.

Quanto enim Paulus incorreptus crudelius sævit, tanto correptus ferventiis in sanctæ lucro religionis profecit. Unde igitur omnis bonus tanto alacrius resurgit, quanto se a veritate effeminatius exorbitasse recognoscit. Unde est illud : usque in Babyloniam pertransibis, et ibi liberaberis. Mirares, in Jerusalem capitur et in captivitate Babylonica liberatur ! Sed id ejus est, qui et in confusione peccati veri Dei immemor non est. Et alia manu scripta tibi et tuis familiaribus rescripta perscriptis exigo, contuli.

EPISTOLA XIII. — Ad Odonem.

Herbertus Odoni.

Conflectere, dilectissime fili, tuæ visitationis consolationem quam dum scriberem, non cornu sed in corde calamum intinxi, meis te instruens visceribus quem in visceribus ecclesiæ norwicensis incorporari concupisco. Tuae rudimentis militiæ præparanda sunt arma, quibus et munitus incedas et tuorum hos-

tium latentes insidias evitare pervaleas; torace pectus et galea tuum muniendum est caput, ne tuis cogitationibus antiquus serpens suæ malitiæ virus infundat, tuæve mentis excellentiæ quidlibet diffidentiæ saxum illidat. Fili, militia est vestræ religionis vita, et præsente Deo, prospectantibus angelis, in circo hujus mundi invisibilibus et ideo crudelioribus bestiis exponimur. Arripe clypeum obedientiæ, accingere gladio patientiæ, vibra providentiæ lanceam, sed eam cui insolubiliter alligetur Dominicæ crucis vexillum. Ascende fortitudinis currum, et veritate auriga, ad constitutum evola branium. Adscriptus es militiæ victoriosi Imperatoris cujus regnum immortale omnia mortalia extenuat regna. Sua ditione singulis imponens metas, suo jure singulorum fragiles subruens excellentias egressus sæculo, in castris ecclesiæ quæris pacem? Sed pax multa, inquit Spiritus Sanctus, diligentibus nomen tuum, Domine, pacem quæris? Sed pugnatum ingressus es contra invisibiles spiritus, eo immaniores quo occultiores, eo exercitatiores quo ab exordio peccati eorum obortæ sunt inimicitiæ et perseverabunt usque ad finem mundi, tuo parcet tirocinio veteranus et immor-

talis inimicus qui et ipsius Creatoris superbæ æqualitatem ambivit, et Paradisi incolas primos humani generis parentes invide expulit, eorumque sobolem novæ peregrinationis exilio errabundam Divinæ severitatis inopinato cathaclismo obscœnitatis intemperantia fraudulenter supposuit. Fili, peregrinatur in hoc mundo civitas Dei, et ab Abel justo usque ad ultimum electum nemo coronatur. nisi qui legitime certaverit. Ante legem et sub lege laboriose nostri præliati sunt patres, sui Salvatoris a longe salutantes præsentiam, et nostrorum temporum suarum virtutum insigniis præfigurantes plenitudinem. Suis laborantibus copiis expectatus supervenit imperator, hostilibus irruit manibus, cedit, expugnavit, afflixit, extinxit, ipsumque primum paricidam et peccati patrem igniominiosa condemnatione perpetuis in incendiis colligavit. Ardet Sathanas inferni carcere condempnatus, et Sathanæ assentit suggestionibus anima quam liberavit Christus. Nostri exercitus solos deficientes affligit lixas et quam in prælientibus non præsumit in ' lassatorum exuviis, suam Sathanas exercet iracundiam. Magnus ille et vere singu-

laris athleta Paulus nostri inimici vires effeminatas sufficienter noverat, quarum dejectioni sui triumphi securus victoriose exprobrat : Bonum, inquit, certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illum diem justus judex; et alibi : Mihi vivere Christus est, et mori lucrum. Narrant tibi iniqui fabulationes suas, sed tu innixus Dominicæ passionis ligno, super aspidem et basilicum ambulabis et conculcabis leonem et draconem, et cadent a latere tuo mille et decem millia a dextris tuis, ad te autem non appropinquabunt. Fastidium temporis exhorres, sed tuæ expectationi æternitas repromittitur. Paupertatem times, sed Christus pauperes beatos appellat. Lauta laudas convivia, sed escæ ventri et venter escis; Deus autem et hæc et illas destruet. Jucundarum recordaris libidinum, at tuarum deliciis voluptatum vigor apostolicus respondet : qui seminat in carne, de carne metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Gravia sunt hæc, sed leviter superat ea timor mortis et amor vitæ. Non poteris quod

pueri possunt et puellæ? Anna virgo Romanæ præfecturæ contempsit gloriam, et facta est sponsa Christi; tui contribules et compatriotæ primarii catervatim convolant ad habitum religionis, et tu pristinæ conversationis obscenitatem meditaveris? Abeant preces, conticescat deprecatio. Audi, fili: non potes hic gaudere cum sæculo, et postea regnare cum Christo. Sufficienter dives est qui cum Christo; pauper pulla tunica et cibario pane et acti assiduitate claustri, præsentiam Dei et latitudinem promereberit cœlorum. Audi ubi et quando et quam suis asseclis Christus promittat retributionem: In regeneratione, inquit, cum sedebit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super duodecim sedes, judicantes duodecim tribus Israël; et: Omnis qui reliquerit domum, vel agros, vel patrem, vel matrem, vel uxorem, vel filios propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit. Hiis, frater, absolvere nexibus, et arreptæ difficultatis labor totus conviluit (*sic*).

EPISTOLA XIV. — AD INGULFUM WILLELMUM ET STANUM.

HERBERTUS INGULFO WILLELMO ET STANO APPARIBUS.

Meæ animæ anxietates patienter dissimulare non possum, et quibus uror interius flammas, exterius vultus judicat; non enim ego sum ex illorum hominum genere qui in corde et corde loquuntur, sed quod intus concipio, continuo extra facies et sermo parturiunt. Maxime id contingit cum ea quæ tracto ex amore veritatis et justitiæ me initiari recognosco. Volo ludere, sed non in rebus Dei, cujus oculi ubique sunt et cujus sermonis vivacitas, nostrarum intuens intentionum medullas, pertingit usque ad divisionem animæ et spiritus. Inde timor, sed utinam tantus? ut mei corporis et ignaviæ somnolentiam excitaret, meamque vigilantiam divinis operibus sufficientem redderet. Initium sapientiæ, inquit sapientia, timor Domini, et beatus qui timet Deum, et in mandatis ejus cupit nimis. Non amat Deus tepidos in servitio suo, qui amati discipuli veridica doctrina cuidam ignavo et negligenti taliter comminatur : Utinam esses calidus aut frigidus; sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore

meo. Videtisne qualem fervorem et qualem sollicitudinem omnipotens et severissimus judex exquirit a servis suis? damnatur ille evangelicus servus, non quia Domini sui pecuniam perdidisset, sed quia eam ad usuriam non collocasset. Videte, fratres, et viva diligentia vestris commendate memoriis, quod Deus facile de propriis non patitur fraudem, qui tanta animi adversione servum punit propter non exhibitam usuriam. Diligo vos, et de manibus severitatis divinæ extrahere molior vestræ pigritiæ tarditatem. Privatis commonitionibus et publicis frequenter vestram sollicitavi præsentiam, ut vestræ ecclesiæ operi fervide et vigilanter, instaretis (*sic*), et coram immortalibus divini intuitus oculis solliciti appareretis. Rogabam, suadebam, et utinam vestro intellectui persuasissem quanta veritate serviendum est Deo. Languet opus, et in apparandis materiis nullus vester apparet fervor. Ecce regis et mei ministri fervent in operibus suis, lapides colligunt, collectos afferunt, campos et plateas, domos et curias implent; et vos torpetis, et concertis digitis ingelati negligentiæ bruma, vili otio deficitis prævaricatores. Redite ad cor, erigite ma-

nus dissolutas et genua debilia roborate, in agone contenditis, laborate ad palmam. Non sunt condigni labores hujus sæculi ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Venistis ad Deum ut serviatis Deo, non ut nutriatis filias vel filios vestros quos reliquistis propter Deum. Colligite pecunias et thesaurizate vobis thesauros in cœlo et apud Deum quo fur non appropinquat, neque tinea vel rubigo corrumpit; qui enim, ut ait Apostolus, sibi thesaurizant propria, thesaurizant sibi iram in die iræ et justi judicii Dei, quo reddit unicuique secundum opera ejus. Memores simus subiti interitus Ananiæ et Saphiræ quos damnavit Apostolus Petrus, non quia aliena defraudassent, sed quia communia suæ singularitati conservarent, gravi eos increpatione arguens : Mentiti, inquit, estis Spiritui sancto. Videte, fratres, severitatem Dei : damnatur Ananias propter propriam pecuniam, et nos somniamus effugiendam vindictam si de sanctæ ecclesiæ rebus commiserimus fraudem. Naaman Syrus septies in Jordane tinctus, mundatus est a lepra propter fidem, et Giezi eadem superfusus est lepra propter suæ infidelitatis avaritiam. In scholas nostri

Salvatoris nudi ingressi sumus, non ibi induamur alienis exuviis furti et anathematis, qui talem venientes ad magistrum, temporalibus abrenunciavimus deliciis propter spem felicitatis æternæ. Quapropter, dilectissimi filii, vires resumite, vestro operi infatigabiliter insistite; non cesset manus vel pes vester; algete frigoribus, æstuate caumatibus, diebus laborate, noctibus vigilate. Accingimini, illorum Israëlitarum memores qui, in reficiendis Jerusalem muris, altera manu pugnabant et altera ædificabant. Insistite viriliter, laborate fideliter, ferveat opus, et circumjacentibus sanctis vestri redoleant labores, donec veniat Dominus qui et illuminabit occulta cordium et latentes reserabit intentiones, et tunc laus erit unicuique justo a Deo. Sic enim verus promittit remunerator : Euge, inquit, serve bone et fidelis, immodico fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui.

EPISTOLA XV. — Ad Ingulfum priorem.

Herbertus Ingulfo priori.

Vado ad curiam, pene sine equis et sine pecunia, sed Deus erit comes meus. Norwicensen-

sem ecclesiam et opus ecclesiæ et meum commendo tibi, et te commendo Deo. Si quæ tibi defuerint, adquire mutuo, et ego rediens, restituam omnia tuis creditoribus. Pax tecum et omnibus fratribus qui in humilitate et veritate tecum conservant nostræ regulæ religionem in domo nostra.

EPISTOLA XVI. — Ad Goffridum monachum.

Herbertus Goffrido monacho.

Multorum religione cognovi te tuis reditum negligentiis, ad antiquum remeasse torporem : rarus in claustro, continuus in auditoriis, tardus ad ecclesiam, velox in curia, et circumjacentibus plateis frequenter minueris et frequenter bannearis. Curas cutem, perdis animam, et non solum tuam, sed fortassis aliquas ex eis quas tuo regimini commendaveram. Hæccine est illa retributio quam mihi promiseras pro patre veterano et pro septenni nato quos ego collegi in domo Dei pro amore tuo? Erras multum, et mihi factus inobediens, inerti ignavia promissum violasti fervorem. Accingere, et saniori sublevatus consilio, corrigere ista et conservare in claustro, conver-

sare in ecclesia, si meam vis retinere amicitiam et promissa consistere in veritate.

EPISTOLA XVII. — Ad Ingulfum priorem et cunctos fratres suos.

Herbertus Ingulfo priori et cunctis fratribus suis.

Vulgare proverbium : qui multo abundat melle, ponit illud in pultes suas; ita et vos dicetis : quia multam habeo litteraturam, crebris litteris vestram fraternitatem inquieto. At ego respondeo, non id procedere ex litterarum supercilio, sed ex indeficientis dilectionis incendio, ut ex multa dilectione et frequenti visitatione meæ mentis vobis pateant viscera, mearumve intentionum reserentur interiora. Multa, confiteor, in mei animi recunduntur thesauris, sed ea sunt potiora quæ extenduntur ad Deum et ad opus ecclesiæ. Unde, obsecro, tanti amoris, tantæ infestationis fulgete memores, et cœpto infatigabiliter insistite operi. Quorundam fantasmatum in somnis conturbor visionibus, quæ utinam in somnis et in phantasiis sint, et non in exhibitione effectuum. Volo rediens gaudere de vestro ferventi in ecclesia sancta servitio, de assiduitate claustri, de custodia

et doctrina puerorum, et maxime de operibus ecclesiæ, quorum curam vestræ industriæ commendavi sub oculis Dei, et sub testimonio omnium electorum et beatorum spirituum contuli.

EPISTOLA XVIII. — Oratio Reginæ quam fecit Herbertus episcopus.

Johannes, amice Christi, quem Christus amoris privilegio dilexit, in cujus nuptiis aquam in vinum convertit, ut te ex iisdem abstraheret nuptiis, ne carnis contaminaris contactu, qui Verbum carnem factum mundo fueras prædicaturus; Johannes, inquam, amator Christi, qui in nostri Salvatoris ultimo cum discipulis convivio, et Dominici corporis et sanguinis immolationis et participationis primo, super ipsius salutis pectus recubuisti, quievisti, ut ex ipsius pectoris archano fonte potares quod universis gentibus prædicares, verum videlicet lumen, quod illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem, eum in solem, more aquilæ, tuos oculos infigens quo nullus mortalium elevaverat mentem; Johannes, qui in cruce Christi et sub cruce Christi factus es frater Christi et filius matris Christi, cum et matri de

te diceret : Ecce filius tuus; et tibi de matre æque conceditur : Ecce mater tua ; Johannes qui in ferventi positus oleo non arsisti, tuæ virginitatis præmerente refrigerio, ne sævienti flagrares incendio... Sed quo protraho, tua ancilla, meam orationem quæ tuam assequi non valeo admirationem? Johannes, itaque, qui in exilio positus inter angelos vivebas, qui ad tui præsulatus civitatem relatus mortuos resuscitabas, virus bibebas et non curabas, lapides in gemmas, ligna in aurum convertebas, itemque eadem ad propriam naturam reformabas ; Johannes cui in veritate senescenti cum agminibus angelorum, et cum senatu apostolorum summus ille imperator, cui victoriosissime militaveras, ante tuum finem dulcissimus apparuit, tibi inquiens : Veni, dilecte mi, epulaturus in convivio meo cum fratribus tuis quorum collegium longis suspiriis expectasti ; Johannes qui tanta confortatus consolatione, sacras ad aras tuas insulatus insigniis accessisti, tuum populum salutasti, in deficienti viatico, quod ipse tuis manibus confeceras, tua extrema communuisti, atque inde fossum tuæ sepulturæ locum incolumis introisti, ibique solemnibus in singularibus exsequiis compositus

animam et corpus tuo amatori Christo reddidisti, tam immunis a dolore mortis quam purus vixeras a contagione carnis; Johannes, igitur, qui tantus ac talis es quantum prædixi, imo quantum dicere volui, sed dicentis conatus tuarum gloriarum præclara materia suffocavit, obsecro, tuam respice ancillam, fatigatæ mentis attende devotionem, cura ægritudinem, expectatam porrige medicinam! Vide gemitus, vide suspiria, vide lamenta, et afflictæ ancillæ consolare præcordia. Virgo quidem es ut Virginis filius, sed et ille tuus magister virgo erat; peccatum non fecerat qui Mariam peccatricem colligebat, cujus unguentis caput subponebat, pedes lachrymis abluendos exhibebat, oscula non abnuebat, pœnitentem confortabat, murmurantis Pharisei cogitationibus respondebat : Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Johannes, hujus ancillæ prostratæ et tuis pedibus advolutæ miserere; ne despicias jacentem pro qua amator tuus Christus suam impendit vitam. Tuis interventionibus exigo reconciliari Christo qui te suæ dilectionis insignivit privilegio. Præ cæteris sanctis unum te decrevi, et decrevi mihi patronum quem præ cæteris audio esse dilectum. Impetra

veniam negligentiis meis, et releva desperantem visitationibus tuis. Habeas tecum, o Beate Johannes, in his meis anxietatibus relevandis, omnes socios amicos tuos quos negligenter vivendo mihi præparavi inimicos. Age, Johannes, age, merentis ancillæ causam apud clementissimas aures æterni judicis qui misericordiam judicio præponit, et mavult nostræ resurrectionis vitam quam suæ exercere punitionis indignationem. Non poterit tibi roganti meorum peccatorum negare indulgentiam, qui et tibi et tuis consodalibus præcepit, ut pro eis intercederitis quorum etiam patiebamini persecutionem. Veniam tandem, veniam, o Beate Johannes, tuis meritis ad reconciliationem! Divini vultus intuear tranquillitatem, complectar fruitionem; veniam ad regnum, veniam ad palatium, veniam ad convivium cujus deliciis beati Angeli atque eorum concives omnes electi reficiuntur, immortalique contuitu, divinæ substantiæ ineffabili dulcedine atque dulci ineffabilitate satiantur. Illa igitur æterna in civitate, o Beate Johannes, collecta, audiam canticum quod et tu cantas, et illæ tecum cantant virgines qui sequuntur Agnum quocumque ierit. Postremo, o Beatissime Johannes, ut

et cordis et meæ orationis tandem concludatur clamor, redde et commoda ancillam tuam æternaliter conservandam patrocinio Dominæ et matris tuæ virginis Mariæ quæ et te misericorditer adoptavit, et Christum naturaliter genuit, filium suum, Dominum nostrum, qui cum patre et Spiritu Sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA XIX. — Ad Rodbertum.

Suo hospiti et figulo Rodberto suus hospes et figmentum Herbertus.

Angelis hospitio collectis et ad mensam humanitus invitatis, Saræ sterili fœcunditatem promeruit Abraham, cujus nepos Loth cum simili humanitate Sodomorum incendia evasit. Duo discipuli euntes in Emaus, Salvatorem suum hospitium intrare coegerunt eique mensam apposuerunt, et quem sacrarum scripturarum interpretatione non intellexerant, in panis fractione cognoverunt. Ita et tu, humanissime pontifex, meam parvitatem tuam domum intrare compulisti, tuo in thalamo collocasti, tuarum deliciarum abundantia satiasti; et revera, quem aliquando apud

Wintoniam patrem sepelivi, recenter apud Lundoniam resuscitatum inveni. Fragrabant tui hospitii claustra jucunda charitate, et stillabant penetralia exuberanti dulcedine; in susceptione, in commoratione et maxime in egressione, quidquid exhibebatur apparebat paternum, et nihil videbatur peregrinum. Onerasti clitellarios meos tantis escarum et potuum tuorum deliciis, ut revertenti mihi sufficere potuissent usque ad domum meam. Hæ sunt tuæ gratiæ, non meis meritis, sed tua voluntate meis indigentiis collatæ. Has, inquam, gratias, quoniam tibi retribuere non possum, retribuat tibi Dominus et Salvator noster Christus, qui et cor tuum suo indulcoravit spiritu et meam indigentiam tuis gratiis consolatus est. Cæterum de palefrido tuo diu cogitavi quid facerem, sequererve tui cordis voluntatem, an tui oris jussionem? corde enim volebas ut palefridum retinerem, ore præcipiebas ut remitterem. Dissimulato igitur transitoriæ vocis præcepto, tui cordis discrevi, et decrevi obedire voluntati. Palefridum retinui, quem reddet tibi æquissimus judex in florido campo, in ultimo jubileo ubi omnibus sua omnia restituentur.

EPISTOLA XX. — AD SAMSONEM ET ROGERIUM CLERICOS SUOS.

HERBERTUS SAMSONI ET ROGERIO CLERICIS SUIS.

Videte ne perdatis dies vestros et ne perdatis pecuniam vestrorum patruum, consumentes eam in vanitatibus et in luxuriis inutilibus; nisi vos discere, non ludere; mementote propositi vestri. Item dico vobis : videte ne revertentes, sitis risui sodalibus et dedecori amicis vestris; sunt apud nos qui poterunt experiri peritiam vestram, nec nostram latebit sagacitatem, quantum perfecerit vester labor; quapropter jejunate, vigilate, laborate; tardi ad ludos et continui manete in studiis. Volo vos primum auctores legere, secundo trivium, tertio quatruvium ; aliter nulla audacia præsumatis redire ad me. De vestro dictamine et metrico et prosaico mittite mihi, et inde intellecturo quantum proficiatis.

EPISTOLA XXI. — AD ROGERIUM EPISCOPUM.

ROGERIO EPISCOPO HERBERTUS SUUS NORWICENCIS PRESBYTER.

Vestræ salutationis visitatione suscepta, per Do-

minum Radulphum de Bellafago, exultavit anima mea tanto gaudio, ac si mihi de cœlo per angelum Dei delata salutatio fuisset. Verum cum idem vir post salutationem adjecisset calumniam, exhorruit spiritus meus, et tam facie lachrymis quam mente doloribus superfusis, quid ad hæc responderem penitus ignoravi. Interrogavi tamen cogitationem, voluntatem, sermonem, actionem meam si alicubi peccassent; responderunt se nusquam peccasse, responderunt se nullo modo posse illuc absinthi virus refundere, inde lactis et mellis consilium et auxilium in omni mea necessitate accepissem. Ita igitur, homo Dei, non animæ corporisve motu peccavi in te, testimonio veritatis et puritate conscientiæ meæ, meam simplicitatem omni in loco defensurus. Aures solas non defendo meas quin quædam non audierim quæ digna sunt correptione, si, ut præcessit sermo, rei subsequitur effectus. Quæ tamen distuli, nemini, meo communicato secreto, uni vobis referenda, cum et loci et temporis opportunitas occurrerit. Walterium archidiaconum meum, obsecro, remittite mihi cum omni velocitate, quoniam adeo necessarius mihi est in sinodo quam

habiturus sum ad [1] . . . . ut eandem sinodum sine ejus præsentia nullo modo definire possim. Ego enim tanta molestia cruris et tibiæ affligor, ut nunquam valeam procedere nisi nostrorum fratrum manibus deportatus.

EPISTOLA XXII. — Ad Ottonem et Willelmum.

Herbertus Ottoni et Willelmo.

Infantiæ et pueritiæ torrentibus decursis, in adolescentiæ pelagum evasistis, ingens periculum nisi Christus gubernator assit. Circumfluunt adolescentiam diversa pericula quorum numerus incertus et species horrenda referenti : hinc gula et ebrietas aggravant animam ; libido et incontinentia deturpant corpus, juxta illud Apostoli : Qui autem fornicatur, in corpus proprium peccat. Avaritia et ira corrodunt mentem ; tristitia et acidia suffocant intentionem ; senodoxia et superbia incautæ mentis evacuant thesauros. Pessimum omnium, adolescentiæ inconstantiam omnis alternatio commutat. Hæc sunt illa adolescentiæ pericula, saxis surdiora, scopulis asperiora, Scylla et Charibdi sæviora, Palinuro tristiora, syrtibus et piratis,

[1] Deest nomen loci in Ms.

undis et fluctibus crudeliora, magnum mare et spatiosum manibus adolescentia; illic reptilia quorum non est numerus. Cantus sirenum et tartarea bitalassa fallunt inscios; et stationis similitudine decepti, adolescentes peregrinis illiduntur arenis, immundorum spirituum futuri preda. Ad hæc quis idoneus? Tot et tantis periculis cujus reluctabitur animus? Lignum plane necessarium est, sed adeo firmum et inseparabilibus tabulis compaginatum, ut talium periculorum immanitates nullas reformidet. Hoc igitur est lignum quod in hujus mundi pelago Salvator ascendit, quo a passibilitate ad impassibilitatem, a corruptione ad incorruptionem, a mortalitate ad immortalitatem, a morte ad vitam, a terra ad cœlum transvectus est. Hoc lignum, filii mei, impigra festinatione conscendite, hujus ligni vehitione mundanæ infidelitatis naufragia superate; venite ad navem Christi, quiescite sub gubernatore Christo et invenietis requiem in malis vestris; jugum enim Christi suave est et onus ejus leve. Quid trepidatis? Quid marina pericula exhorretis? Vester gubernator imperavit ventis, vester gubernator plantis non sidentibus super fluctus ambulavit.

Nulla opera suo reluctantur opifici; nihil ei impossibile in rebus qui eas ex nihilo creavit. Rerum existentiæ causa una est voluntas Dei. Consurrexistis cum Christo; quæ sursum sunt quærite, non quæ super terram; seminate in spiritu et non in carne : nam qui seminat in carne, de carne metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Adolescentiam prætenditis, sed non omnes adolescentes adolescentes sunt; unde est illud : Lætare, juvenis, in adolescentia tua, et alibi : Cani sunt sensus hominis et ætas senectutis vita immaculata. Puer Samuel Heli deposuit, et Daniel adolescens in Babylonia presbyteros condempnavit. Expergiscimini, fugite euripum libidinis. Vestræ spei anchoram figite in sodalitatem pudicitiæ. Crucifigite membra vestra cum vitiis et concupiscentiis; fidei erigite malum, suspendite carbasa virtutum. Colligite Sancti Spiritus flatus. Tendite ad patriam et ad civitatem vestram, gubernante Christo; felici cursu cœlestis littoris intrabitis portum. Ibi invenietis Deum patrem, invenietis et matrem sanctam, videlicet ecclesiam. Invenietis fratres et concives sanctos, angelos et omnes

electos Dei, atque omnium necessitudinum viscera quibus vestra innovabitur jucunditas, jucundabit æternitas, æternabitur felicitas; ditabimini mercibus et deliciis quas oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quas vester gubernator vestrorum negotiorum præparavit laboribus. Nusquam vestræ immemor in periculo, positionis, scripsi vobis hanc epistolam, vestram commonens dissimulationem. Mihi consimilia rescribere.

EPISTOLA XXIII. — Ad Felicem.

Herbertus Felici.

Tuam, Felix, querimoniam tanta compassione audivi quanta simplicitate prolata est. Conquereris quod tibi non scribo, sed scripta mea solis suæ regulæ neglectoribus diriguntur. Scripta mea diriguntur gulosis, ebriosis, libidinum cultoribus, avaris, iracundis, tristibus, acidiosis, gloriosis atque superbis; iis diriguntur scripta mea qui contra veritatem ambulant, et erecta cervice Dei jussionibus impudenter resistunt. Tibi vero quare scriberem, qui veteribus et novis doctrinis eruditus, ea continuo operaris quæ earundem

veterum et novarum doctrinarum doctores fieri præcipiunt? Tractabo tibi de fide? sed credis in Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, unum et trinum Deum, unum in indifferentia substantiæ, trinum in personarum proprietate. Prædicabo tibi mores? sed requiescit in te charitas, gaudium, pax, patientia, bonitas, benignitas, mansuetudo modestia, continentia, castitas. Suadebo bene vivere? sed continuis permanes in ecclesiasticis officiis, matutinis, videlicet, primis, tertiis, sextis, nonis, vesperis, completoriis. Laboras in scripturis, et nulla intercapedine tuum studium cessat a religiosis operibus. Sedes in claustro, et linguam refrenans, tuos etiam digitos ab inutilibus signis coerces. Quid igitur tibi scribam? Illis duodecim vere humilitatis gradibus ascensis, canticum graduum cantas, illo perventurus in virginitate tua ubi inter suos virgines canticum cantat Agnus; ille, inquam, Agnus maximus qui tollit peccata mundi, quod nullus cantat nisi virgo et ii qui sequuntur Agnum quocumque ierit. Illuc igitur perveniens, non ultra recordaberis terrenarum deliciarum quas propter cœlestes divitias dimisisti; non ultra recordaberis patris et ma-

tris tuæ, tuarum nec aliarum necessitudinum quibus propter Christum abrenunciasti; non ultra recordaberis tuorum invisibilium hostium de quibus gloriosissime triumphasti. Sed erit tibi æterna possessio, pro terra videlicet cœlum, pro carnali patre Deus, pro temporali voluptate æterna beatitudo, de qua canet in psalmis Spiritus Sanctus: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! Perfecisti eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum. Age igitur, dilectissime fili, quod agis, operare quod operaris, non cessent manus tuæ, non cessent pedes tui. Persevera in agone quem agressus es, quoniam non coronabitur quis nisi qui legitime certaverit. Resurrexit a morte Salvator, ascendit in cœlum; præparat nobis mansiones, iterum at nos venturus; nos ipsos ad se ipsum recepturus, illis in gaudiis quæ nemo tollet a nobis, quæ nec oculus vidit nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Quæ tibi tuisve sodalibus præparavit tuus Salvator, qui loti estis in sanguine Agni, ut non polluistis vestimenta vestra in carnali conversatione. Ea felicitate, Felix, eris felix et re et nomine.

EPISTOLA XXIV.—Ad Othonem et Willelmum.

Herbertus Othoni et Willelmo.

Bovum labore colitur terra; utilitas bovum stimulis exaucta exhibetur. Servitur Dominus obsequiis servorum, servorum obsequia non nisi flagellis adquiruntur. Ita et vos nihil scribitis nisi lacessiti, nihil discitis nisi interrogati. Vel semel spontanei deberetis erumpere, meam patientiam commovere, meum sonum excutere, et ad vestræ responsionis audientiam paternam dissimulationem commovere. Inertissimi et pigerrimi omnium adolescentium, quamdiu infantilibus saliviis fœdabimini? Quamdiu vestræ pueritiæ feces ructuabitis? Quare dies jejuniis et noctes vigiliis non continuatis? Comeditis, bibitis, dormitis, et alias vestræ voluntatis dulcedines confovetis. At hæc non sunt via perveniendi ad sapientiam quam vos exsequuturi proposuistis. Ex ultimis et peregrinis mundi partibus gemmæ afferuntur; ex terræ visceribus aurum et argentum extrahuntur; ita et sapientia non nisi voluntatis labore et mentis puritate con-

quiritur. Conscendite Heliconem. Inebriamini fonte Pieridum. Indefessi et intermini scribitis mihi, donec vobis rescribam. Adolescentes, tediosa est mihi vestra musa, quid scite?

EPISTOLA XXV. — Ad Matildim reginam.

Dominæ suæ et totius Angliæ communi matri Matildi Reginæ Herbertus suus Norwicensis sacerdos.

Sicut uber lactens, vel aquam sitiens, aut fessus quietem, vel exul patriam, ita anima mea vestræ præsentiæ desiderat refectionem. Oleum effusum nomen vestrum, in cujus fragrantias nostræ patriæ veritatis amatores insatiabili aviditate cucurrerunt. Ester quæ potius pietate quam regni fastidio delectabatur, illa orientalis regina terrenam Jerusalem implevit vestibus et lapidibus, unguentis et aromatibus quorum excellentias Salomon admiratus, ultra non habuit spiritum. Sic et vos, beatissima Regina, nostrum occidentem tanta opulentia fidei et virtutum, morum et actuum ditastis, ut ultra non habeamus cui consimili dilectione inhærere velimus. Penetravit fines mundi vestræ religionis odor et circumjacentibus

regionibus vestræ integritatis et pudicitiæ soliditas cognita est. Astitit, inquit Propheta, Regina a dextris Dei in vestitu deaurato, circumdata varietate. Huic et vos Reginæ astatis, cui non nisi Reginæ serviunt, tanto feliciores quanto in ejus obsequiis inveniuntur devotiores. Huic, inquam, Reginæ astatis, ejusque filiis Christo et Johanni insatiabili desiderio deservitis, quorum tanta est potentia retribuendi, quanta fuerit vestra voluntas recipiendi. Regina cui servitis potest omnia, quia omnium potentissimum generavit, Christum videlicet suum filium, animæ vestræ sponsum, speciosum forma præ filiis hominum. Pauca dixi, cupiens multa dicere; sed timui videri onerosus regalibus negotiis quæ laudabili sollicitudine administratis. Alta quæro, sed ut alta quærerem, vestræ munificentiæ consueta beneficia meam præsumptionem confirmaverunt. Vestra magnitudo salutet dominum Salesberiensem episcopum ex parte mea, dicens ei ne meam fastidiens paupertatem, inveniat occasiones discedendi ab amore meo, et ne credat inimicis de amicis suis. Cæterum de infirmitate mea, de qua vestra excellentia dignorata est requirere, respon-

debit vobis frater et filius noster Starnardus qui præsentes litteras vobis attulit.

EPISTOLA XXVI. —Ad Rogerium Salesberiensem.

Rogerio suo Salesberiensi pastori
Herbertus sua Norwicensis ovis salutem.

Etsi omni tempore vestræ procurationis sollicitudo meis infirmitatibus necessaria est, hoc tamen articulo, quo et ægritudinis alligor vinculis, et vehementior adversitas sævit, vestram paternitatem obnixius exoro ut quem hactenus stare fecistis, prostratum modo nullorum occupatione negotiorum despiciatis. Clamo ad patrem, clamo ad pastorem, et eis clamoribus quos sanciùs animus emittere solet. Penetrent, obsecro, meæ voces anxietatis vestræ pia præcordia paternitatis. Confractis caulis, crudelium pateo dentibus bestiarum, et nisi vestra munitio clementer succurrerit, exhibeor dilaniandus irruentibus inimicis. Videbit vestra miseratio quid suæ ovis allegationibus relatura sit; ego plane mearum anxietatum consilia omnino relinquo vobis. In terris meis exiguntur quinquaginta libræ pro placitis, cum earum-

dem terrarum mei homines nec in responsionem nec in facto peccaverint. Item pro militibus sexaginta libræ quos tanto difficilius cogor reddere, quanto annis præteritis mea substantia gravius attenuata est. Gravissimum omnium, quod mei vicini conantur contrahere thorpum in consuetudinem, quod Dominus noster Rex ita liberum suæ construendæ donavit ecclesiæ, sicut erat in manu sua et sicut sunt sua alia maneria; unde et cartam et iterata brevia frequenter aspexistis. Hic standum, hic ingemiscendum, hic votis et omnibus meæ animæ exoro medullis, ne vestra ecclesia suam perdat libertatem, quoniam hactenus et Regis gratia et vestro consilio integrum obtinuit; præcipite, obsecro, ut thorpum suo more sit quietum, aut donant indutias donec Dominus noster Rex veniat; aut si aliter fieri non potest, spatiosum concedite terminum, quo possim mittere ad Dominum nostrum Regem et suam requirere misericordiam. In his concedendis et exequendis Dominam nostram Reginam confido. De Domini pietate minime invenietis difficilem quæ et ex sua misericordia mihi facta est mater, et vestris ubique fruitur consiliis. Vivo igitur si

jubetis, Jesu nostri Salvatoris continuis lachrymis imploro misericordiam ut jubeatis. Cujusdam fratris nostri rogaturi misericordiam vestram pro suo fratre incarcerato, obsecro, audite deprecationem ea compassione qua vestras orationes exaudiri desideratis a Deo.

EPISTOLA XXVII.—AD GODWINUM ET WILLELMUM.

HERBERTUS GODWINO ET WILLELMO.

Habete consolationem, et omnem de cordibus vestris eradite rancorem et mœstitiam. Sanus est pater vester et incolumis, atque sui voti compos in omnibus. Mandavi ei ut veniret ad me, et W., ut mitteret eum, vestris timide obtemperans allegationibus; sed, confirmata pace inter eos, respondit mihi pater vester quia hoc tempore nollet redire domum, ne vel ipse levitatis notaretur inconstantia, vel suo fratri scandalum vel invidiam genuisse reprehenderetur. Sua igitur voluntate illuc ivit et sua deprecatione ibi manet, nullorum indignus, sed sufficienter quotidianis abundans necessariis. Hic finis et mœroris vestri et sermonis nostri.

EPISTOLA XXVIII. — Ad Otonem Willelmum.

Herbertus Otoni Willelmo.

Cogitanti mihi de studio et doctrina vestra, et quædam elegiaca cantitanti noctis sub cujusdam silentio subrepsit somnus, tanto gravior quanto attentius vestris utilitatibus invigilabam : occupavere rerum præcedentium actuum similitudines, animam resolutam et spiritum laborantem veris passionibus phantasmatum vanitas opprimebat. Dira mortalium conditio, ut abstractos a præsentibus larvæ imaginum corporali anxietate atrocius excrucient quiescentes! Laborabat animus, et frustrato labore, turbas phantasmatum mentis contuitu expellere nitebatur, sed suas residens in passiones, infesta et perplexa phantasmata nullo abjicere vigore prævalebat. Adest imago reverendæ majestatis et metuendæ visionis, ad cujus ingressum tota illa phantasmatum turba erubuit, et meum quem infestabat spiritum inopinata eruptione dereliquit. Tum illa diu cunctans et velut alia et alia profunda mente revolvens, tale tandem exordium auspicata est : Heus tu, inquit, cujus te dignitatis confiteris esse sectatorem?

Ad quas : Ego Christianus, inquam, sum, vestræ sanctitatis servus. At illa : Non, inquit, de religione tua, sed de dignitate quæro ; aliud est enim dignitas qua cæteros excellis, aliud religio qua Deo alligatus es. Tunc subintelligens quod de episcopatu faceret quæstionem, erubui confiteri me episcopum, ne tali professione arrogantiæ notarer invidia. At illa suis insistens percunctationibus, adepti dignitatem officii sibi apperiri frequentius exigebat. Tunc ego meos conatus minime posse latere conspiciens : Nomen, inquam, episcopi venerabilis, domina, indignus porto. Tunc illa : Sciebam, inquit, a juventute tua usque ad præsentes senectutis tuæ canos, te sacerdotalibus militasse officiis; verum inter manus tuas, unde Ovidianæ falsitates et Virgilianæ adinventiones? indecenter enim eodem ore Christus prædicatur, et Ovidius recitatur, nec cor recte Evangelii veritatem prædicat, quod poetarum obscenitates inquirat; non est purus a pollutione flagitii qui flagitiorum cantu delectatur. Tui recordare officii, et quod immolas, et cui immolas impigro collige intellectu; non animal immolas corruptibile, sed Agnum æternum qui tollit peccata mundi et reddit vitam

mundo, opima victima et tuis infirmitatibus necessaria si digne mactes, dignis si manibus attrectes: aliter præsumptum officium judicium præsumptoris efficitur, et mortem operatur indigno consectori. Adhuc ego conturbatus et tantæ majestatis objurgationibus confusus, cœpi meditari quid referrem, qualive responsione convictam levitatem defenderem. Verum illa, turbato vultu et mutato sermone, sæviore ore increpitans : Non potes, inquit, fallere Deum, nec aliud respondere Deo quam quod est in opere et conscientia tua. Debueras retinere quibus te ex stercoribus erexit Deus, et ad quos celsitudinum erexit gradus quam non habueras ex natura, ex gratia Dei consecutus, et generis claritatem, corporis incolumitatem, divitiarum abundantiam, dignitatum celsitudinem, summorum virorum notitiam et familiaritatem. At hæc parva si tua in te respicis interiora : a Deo cordi tuo pietas qua Deum recognoscis, amor quo Deum diligis, prudentia qua tuis provides actionibus, temperantia qua passionum incentiva refrenas, fortitudo cujus robore mundanos fluctus mitigas, justitia qua et Deo sua et tibi tua, et civili consideratione unicuique reddis propria.

Restat spes quæ tuam consolatur dilationem, donec ad veritatis quam expectas pervenias fruitionem. Sunt et illæ in tua mente scientiarum divitiæ quas nec prædo potest auferre, nec fures possunt asportare, nec tinea vel rubigo prævalent demoliri. Hæc omnia tibi, ex uno et per unum et in uno conferuntur Deo, a quo tibi et esse et intellectuale et rationale esse, ubi tu imago et similitudo Dei insignitus es ad exemplum tui conditoris. Videsne quanta a tuo conditore bona acceperis? et quanta rerum et gratiarum pulchritudine tuæ parvitatis obscuritatem tuus auctor illustraverit? Ingratissime omnium hominum, præsentem perpende causam, et librata veritate veram de tuis insolentiis promulga sententiam. Tum ego illa presbyteri Jeronimi flagella memorans, et Boetii consolationem philosophiæ diligenti memoria recogitans, meam confessus sum ignorantiam, meæque ignorantiæ diutinis concretam fatuitatibus reservavi turpitudinem. Vera sunt, inquam, Domina quæ exsequeris, et nullius repugnantiæ obstaculo possunt refelli. Peccavi, fateor, et non solum in lectione gentilium auctorum, verum etiam in eorundem imitatione tur-

pium et morum et actuum. Restat ut præcipias quod velis et ego exsequi laborabo quod præceperis. Non quæro impunitatem, sed dignam exoro exercere correctionem; eo mihi tua correctio apparebit fructuosior, quo tua manus circa negligentis animæ latus desæviet asperior. Age, inquam, o serenissime judex; apostolico enim scemate judex mihi videbatur dignam exquire vindictam; puni levitatem, castiga lasciviam, adversarium disciplinæ restitue veritati. Tum ille: Sufficit, inquit, te tua vapulare pœnitentia, tuæque recognitionis et confessionis puritate tuorum delictorum, perfectam promereberis absolutionem. His dictis, absessit suaque absessione meam absentiam præsentibus reddidit. Unde, dilectissimi filii, exinde deliberavi sacris codicibus insudare, sanctorum patrum sententias investigare, meorum studiorum informitatem reformare, et ad veritatis sigillum mores et actus meos reportare. Vobis deinceps de Christo loquar, de Christo scribam, verbis et scriptis Christum vestris mentibus imprimam, hoc singulariter agens, et propter id dogma aliud vobis minime proponens.

EPISTOLA XXIX. — AD THURSTINUM MONACHUM.

HERBERTUS THURSTINO MONACHO.

Tuam obhorrens hæreditatem, frater Thurstine, peregrinis delectaris divitiis, et nostra arundinea condempnens tuguria, marmoreis habitas in palatiis; elegans tuæ prudentiæ consilium, si inter tuarum abundantias deliciarum nostræ recorderis paupertatis. Fratres sumus, tuam exhereditatem non quærimus, paternorum penatibus larum quandoque reddendus es. Provide tibi et nostræ expectationi; tu militiæ solides, tuæve negotiationis merces expectamus. Spiritualis negotiator tuæ domui referendas impigro studio pretiosas rerum compara commutationes. Non aurum, argentum, persicos lapides indasve requirimus vestes, sed solis unguentis et pigmentis delectamur ecclesiæ quorum fragrantiis impletus est mundus. Tuam expectamus fidem, tuis condelectabimur moribus, tuis congaudebimus operibus. Prudentia et temperentia, fortitudo et justitia tua nostros sublevabit affectus, et avidius delicatis obsoniis, tuam

humilitatem, patientiam, sobrietatem, scripturarum diligentiam, obedientiæ alacritatem epulabimur. Fili, conserva sanctimoniam sine qua impossibile est placere Deo. Virgo Christus, virgo Maria mater Christi, virgo Joannes præco Christi, virgo Joannes dilectus Christi, attende, et in sacramento nostræ redemptionis invenies omnino virginitam prævaluisse. Empti ex terra et carnali non contaminati contactu, ii sequuntur Agnum quocumque vadit. Felix collegium, commorari cum Christo et cantare canticum quod solæ virgines cantant. Fili, cautus esto; redditus domui, invenies multos qui de tuis judicabunt promotionibus, nec nostram latebit intelligentiam quantum apud tuæ optionis philosophos tua profecerit sollicitudo.

EPISTOLA XXX. — AD OTONEM.

HERBERTUS OTONI.

Scriptis cujusdam providi et frugi adolescentis responsurus, Jesum advoco adjutorem meum, ut ea inveniam quæ sint digna ingenii tantæ subtilitatis, et inventa tanto adornem judicio, quod

non sit inferius tali inventione. Adesto Jesu! et dubiæ linguæ subministra vires, ut et mens digna relatu concipiat, et prolatam conceptionem mediocris eloquentia coleret. Adsum igitur ille antiquus veteranus præliator, cui non solum est pugna contra aerias potestates, spiritualia nequaquam in cœlestibus, ut se dimicare gloriatur Apostolus; sed adversus carnem, sanguinem, adversus vice-comites, præpositos, adversus accusatores et bedellos, quorum tanta est copia quo vicini nostri; adversus hos vigilamus nocte, laboramus die, et nulla conceduntur tempora, quin eorum dolis aut fraudibus, aut rapinis reluctari cogamur. Eorum amicitiæ spatæ sunt, et si aliquando indulgent, ea indulgentia sævius nostra devorant; manus eorum sanguine plenæ sunt, et nihil venerantur nisi munus; inferius minime impletur præda, et eorum avaritiæ nulla sufficit pecunia. Capimur, nectimur, flagellamur, incarceramur et continuatis doloribus, diurnis et nocturnis intervallis, nostras miserias lamentamur. Importuna musa in domo luctus et Pieridum modi a flenti animo exterminantur. Frater, eum ludere non licet qui vivere non potest. Venatio leonis, onager in agro. Sic

ecclesia Dei immundorum canum efficitur cibus. Multa taceo, meis etiam verbis non habens fidem. Revelantur hodie cogitationes mortalium, et accusatorum astutia totus mundus in maligno constituitur. Habes claustrum, et in claustro pacem, sed eam promerentur tibi nostri labores. Circumstrepunt malignantium scandala tuum domicilium, sed nostra objicitur sollicitudo, tuam permuniens quietem, ut cadant a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis, ad te autem non appropinquant. Oto, lasciviis, qui animam tantis in amaritudinibus gravidam ad tua metrica decantanda lacessis, tuam attende artem, et signanter judica quod ludi et lachrymæ non convenienter in unam eandemque animam coeunt. Arguis torporem, arguis sompnolentiam, arguis voracitatem, sed hæc tuam comitantur ignaviam et a nostris abiere penatibus. Nocte bruma et die affligimur caumate, et squalidis comorantes in locis, divinum singulariter suspiramus auxilium, clamantes cum Propheta : Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multa incola fuit anima mea. Verum jam ad præclara scripta et ad meracam tuorum ver-

suum cantilenam convertamur. XXX et sex misisti mihi versus, incaute prospiciens quod XXX voluptatem carnis et senarius numerus hujus mundi significat labores. Tu enim qui omnibus mundanis abrenuntiasti et Christum secutus es, ipsis tuis humeris debueras ostendere, solitæ pudicitiæ inservire; a temporalium actuum laboribus alienari. Peccasti numero, numeri significantiam minime intelligens. Primo versu fatue incipis, ipso tuo exordio insipienter reprehendens, cujus benevolentiam captare debuisses. Item aliud vitium in eodem versu : Admiror ponis in malum, quod nisi in bonum accipi solet. Lacessis in tertio versu, falsitatem ponens patrocinio ineptæ regulæ. Item in VII°, consimiliter peccas. Item in IX°, male ponis moneo cum me corripias. Item in X°, turpia verba male ponitur, cum turpitudo solvis (*sic*) animi sit. Item in XI°, te nunquam vocavi juvenem, quia adhuc impuber es. Item in IV° de vigincti, bona materia profertur de corde bono. Item in vigesimo secundo, musa tua sine sensu est. Item in trigesimo tertio, illiterate ponis namque post duas partes. Rescripsi, ut vides, tuis scriptis, meorumque verborum ludo me sa-

nativum fieri tuæ interrogationis desiderio, respondit : Age igitur quod agis, operare quod operaris, lege poetas, dicta ex poetis, quoniam et in sterquilinio ille Æsopi gallus invenit margaritam. Ego interim senex longevus sacerdos solo de Christo loquar tibi, et de suis externis et jocundis promissionibus. Quid est quod tuus collega Willelmus tacuit in tuo thomo et velut iratus nulla mihi dignatus est scribere? Amicitia non meretur iram quæ prædicat veritatem, et quæ imminenti morbo providet et adhibet medicinam. Collisum Willelmus revelet animum, et quem hactenus me alterum habui in meis, permittat me se alterum haberi in suis. Scribat mihi si vult rescribi sibi. Contuli.

EPISTOLA XXXI. — Ad Ricardum episcopum.

Ricardo episcopo Herbertus episcopus.

Oraturus pro presbytero Hunfrido, quibus inventis exordiar, clementissime pater, incertus sum, cum et injunctæ mihi causæ genus sit obscurum et vestrarum injuriarum querimonia sit patens. Sed episcopo loquor cujus ira non

potest permanere post occasum solis, et qui malum pro malo reddere non solet. Oramus quotidie pro nostris et populi peccatis : Sed dimitte nostris debitoribus debita, et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Principi apostolorum interroganti si peccanti in se dimitteret usque septies, Veritas respondit : Non dico tibi septies, sed usque septuagies septies. Hanc legem Veritas suis subsecutoribus promulgavit, suæque in articulo mortis memorabili exemplo confirmavit, ita suis pro interfectoribus deprecans : Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Ita et tuam, clementissime pater, nemini pœnitenti et confidenti potes negari indulgentiam, cujus officii est pro commissis ovibus impendere animam tuam. Non præbet percutienti alteram dextram maxillam, qui insatiabili odio exsequitur suarum injuriarum ultionem. Judex nequam, in Evangelio, qui hominem non timebat et Deum non venerebatur, victus tædio viduæ justiciam fecit, ne iterum veniens sigillaret eum; et somnolentus amicus media nocte propter improbitatem pulsantis surrexit, et dedit illi panes quotquot habebat ne-

cessarios. Ita et tu præsul Christi, et si non respectu misericordiæ, propter improbitatem tamen hujus presbyteri, surge et redde ei gratiam tuam, tuos liberans animos de tormento tantæ loquacitatis.

EPISTOLA XXXII. — AD OTONEM ET WILLELMUM.

HERBERTUS OTONI ET WILLELMO.

Laboratis, dilectissimi filii, meumque propositum crebris fatigatis suasionibus ut vobis metrice scribam; sed divinis oraculis impium et sacris reluctari revelationibus sacrilegum est. Vellem quidem vestræ condescendere voluntati, et consimili stilo vestris respondere scriptis, sed arrecti propositi severitas contradicit, meumque timorem vestros transire in ludos, nullius auctoritatis sententia, permittit. Vestræ adolescentiæ conceditur ludere, et meis præcipitur canis Scripturarum archana et mistica sacramenta meditari et penetrare. Abrenunciavi poetis et poetarum fabulis, nullisque eorum delector scurrilitatibus. Non est episcopi sedere in scena, sed prædicare in ecclesia; non in theatricas turpitudines, vel

circenses crudelitates, sed legem Dei et verba sancti Evangelii. Habemus et nos auctores nostræ veritatis, vestris auctoribus tanto excellentiores quanto solius Dei inveniuntur amatores. Moyses ille niliacus fetus, cui in rubo Deus primum apparuit, et qui Egyptiorum indurationem decies flagellavit plagis, adeo magnificus, ut et currus Pharaonis et exercitum ejus in mare Rubrum submergeret, et populum Deus incolumem siccis vestigiis per idem mare educeret; manna quidem in deserto populum Dei pavit, tabernaculum erexit, legem promulgavit; originem mundi usque ad repromissæ hæreditatis ingressum exposuit; nullis divinas sententias pedibus ligavit, sed propheticam narrationem prosaica oratione persecutus est. Sic Isaias et cæteri prophetæ fecerunt, qui non in opacitate foliorum sed in gravitate sententiarum immorati sunt. Sic Evangelistæ et Apostoli, velut mel in fragilis ceræ fano, Verbi incarnati dulcedinem mundo propinaverunt, non orationis leporem, sed tanti miraculi attendentes veritatem. Modernos videte patres, Jeronimum, Augustinum, Ambrosium, Gregorium, aliosve sacræ fidei defensores, et inve-

nietis eos non musarum cantu, sed veritatis intellectu sanctam illustrasse ecclesiam. Unde et nostra optio, dilectissimi filii; vestræ importunitati manifesta sit quod nostros numeros ulterius non videbitis, sed ex nostris responsionibus divinorum pocula fictilibus haurietis vasis. Portamus enim Christianæ sapientiæ thesauros, non in tipo sublimis eloquentiæ, sed in puritate conscientiæ et religione morum et sanctimonia carnis.

EPISTOLA XXXIII. — Ad Robertum fratrem et filium.

Herbertus episcopus Roberto fratri et filio.

Te immemorem antiquæ familiaritatis et dilectionis nostræ, ego earundem memor, dignis querimoniis accuso et patentibus indiciis condempno quem nullorum advenientium salutas sermone, nullarum litterarum relevas visitatione. Scio quidem hanc tui moris ex antiquo fuisse consuetudinem, ut novis amicitiis semper gaudeas, et veterum amicitiarum obliviosus existas. Fuit hoc tolerabile in mobilitate pueritiæ et adolescentiæ tuæ; sed jam evadens in juventutis robur,

pristinos recognosce amicos tuos, et recollige eos in corde tuo, et in ea parte cordis tui qua antiquitus præ deliciis et omnibus dulcedinibus tuis eos fovere consueveras. Ego vero deinceps tibi talis reddor amicus qualis aliquando fuerim. Pronus ad omne consilium et auxilium tuum; si tua indigentia vel voluntas elegerit, nullas patiaris angustias, nullasve cujuslibet obhorreas simultates; meæ divitiæ mihi et tibi sufficere possunt, quas tanta facilitate invenias quanta voluntate ut volueris. Omnibus abundamus præter vinum; vinum mediocriter, cætera sufficienter invenies apud nos.

EPISTOLA XXXIV.—Ad Fiscannensem abbatem.

R. Fiscannensi abbati Herbertus Norwicencis episcopus, salutem.

Fratrem Stanardum quem nostræ legationis partitorem ad Regem mitto, vestra paternitas habeat commendatum et antiquæ familiaritatis et dilectionis recordatione, si alicubi sua necessitas expostulaverit; in suo consilio et auxilio vestra in præsentia nostram præsentiam inveniat. Usus et

consuetudines Fiscannensis ecclesiæ sciatis teneri a fratribus nostris apud Norwicum, in quantum potuimus eas extrahere a Domino Balduino, vel in quantum eas ego ipse possum recolligere; sed, ut vestra experientia novit, sensus divisus ad temporales necessitates minor est ad retinendas hujusmodi ecclesiasticas consuetudines, unde frequenter proposui unum vel duos fratres mittere Fiscannum, qui ipsis discerent rebus, quæ nostris fratribus deferenda elegissent. Hoc tamen vestra præsentia et concessione faciendum judicavi. Relinquitur igitur vestræ voluntati quid inde nostræ deprecationi responsura sit. Mitto vobis servientem unum, in coquina vestra aliquanto temporis commoraturum; retinete eum. et jubete eum instrui doctrina illius disciplinæ. Postremo certissime cognoscite professionem quam super Fiscannense altare feci, et benedictionem quam ex eodem altari accepi, nullis temporibus, nullarum divitiarum affluentiis in corde meo posse extingui; sed quantum promoveor ætate, tantum sum devotior et ferventior in obsequiis et jussionibus vestræ paternitatis.

EPISTOLA XXXVI. — AD FRATRES THEDFORDIENSES.

HERBERTUS EPISCOPUS R. VICECOMITI ET CUNCTIS PAROCHIANIS DEI ET SUIS DE NORFULCHÆ ET SUTFULCHÆ, SALUTEM.

Si præcepto veritatis constringimini, alterutrorum onera vestra portare et mutuis condolere injuriis, tunc maxime vestri capitis contumelias obhorrere, et suis afflictionibus totis visceribus debetis condescendere. Magna sunt charitatis vincula quibus astringimur, et utinam tam utilia, quam divinæ dispensationis ordinatione sunt connexa; quam enim legem inter sponsum et sponsam corporaliter Deus protulit, hanc Christus inter episcopum et populum suum spiritualiter promulgavit, et eo majorem, quod illa de carnali conjugio, hæc vero de spirituali condita est. Quod ideo vestræ represento intelligentiæ, ut veraciter perpendatis, et officii labores quibus vobis servio omni die, immolans corpus et sanguinem Christi pro vobis, et vestræ dilectionis obedientiam qua meis debetis respondere officiis. Hæc prædixi,

necesse habens apud vos clamorem facere de quibusdam malis hominibus qui præterita hebdomada parcum meum fregerunt apud Humeres Feld, et unum quem ibi habebam cervum nocte interfecerunt, et projecto capite cum pedibus et intestinis, dampnabili furto asportarunt. Unde ego et dominum vicecomitem, et omnes fideles et Christianos Dei horum comitatuum suppliciter exoro, ut si quid inde audierint vel præsentire potuerint, mihi indicent, et occultos adversarios laudabiliter prodant. Ego interim excommunico eos qui parcum meum fregerunt et cervum meum interfecerunt eo anathemate quo Deus iratus percutit animas impiorum. Interdico eis ingressum ecclesiæ, et corpus et sanguinem Christi, et communionem totius Christianitatis. Maledicti et excommunicati sint in domibus, in viis et in agris, in silvis et in aquis, et in omnibus locis quibus inventi fuerint. Computrescat caro eorum qui carnem cervi mei devorarunt, sicut computruit caro Herodis, qui pro Christo fudit sanguinem innocentem, cum Juda traditore et Anania, et Saphyra et Dathan et Abiron. Habeant anathema maranatha, nisi cito resipuerint et fecerint mihi

satisfactionem. Fiat, fiat, fiat. Hanc excommunicationem, dilectissimi fratres, facio, non quia mihi sit multum de uno cervo, sed quia volo eos pœnitere et ad confessionem venire et deinceps corrigi a tali furto. Qui sciunt vel consentiunt vel eos deportant, eodem damnabuntur anathemate. Quibus non sit leve quod dicimus, quoniam apud Deum quod ligamus, ligatum est, et quod solvimus, solutum est veritate; ita dicente primo episcoporum Petro : Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.

EPISTOLA XXXV. — Ad Athselinum presbyterum.

Herbertus episcopus Athselino presbytero, salutem.

Multum vellem tecum loqui et tuam corrigere vehementiam; dicuntur enim tam crudelia de te, quæ etiam honestum laicum dedecerent. Erubescis coronam habere et missam psallere, sed qui Christum erubuerit et sermones ejus, et Christus erubescet eum coram patre suo in cœlis. Joseph et Daniel, alter in Egypto, alter in Babilone, administraverunt rempublicam, sed neuter

veram perdidit religionem. Ita et tu age terrena negotia, ne tui presbyteratus dignitas decoloretur. Mando tibi episcopus presbytero, ut permittas Deum et ecclesiam nostram habere consuetudines suas apud Tedford, quas hactenus habuit meorum et antecessorum temporibus, sine calumpnia et sine secularium inquietatione placitorum. Ama Bundum decanum meum, et habe cum eo pacem, et nullis placitis inquietes eum, donec veniam Tedford et audiam causas vestras canonice, et confirmem in vobis amicitiam et veritatem pacis. Fili, si mihi credideris, ita eris præpositus apud Tedford, ut non desinas esse sacerdos Dei.

EPISTOLA XXXVII. — AD FRATRES ET FILIOS SUOS APUD TEDFORD.

HERBERTUS EPISCOPUS FRATRIBUS ET FILIIS SUIS APUD TEDFORD, SALUTEM.

Sciatis me Bundo decano reddidisse scholas suas apud Tedford, sicut unquam melius et integrius habuit, et præcipio ut aliæ scholæ non habeantur ibi, nisi suæ vel quas ipse haberi promiserit.

EPISTOLA XXXVIII. — Ad Radulfum.

Radulfo maximo sacerdoti Herbertus, minimus presbyter, salutem.

Frequenter minamini vestrum adventum ad nos, sed vestra familiari negligentia minas vestras hactenus enerviter confregistis. Nunc demum corrigite sermones vestros, et vestram complete promissionem. Visitate vestros fratres Norwici, et qui præterito nostros effugistis labores, anno præsenti circa imminens equinoctium congratulamini quieto et deliciis nostris. Adventum vestrum prædicat nobis aliquis vester serviens, vel octo diebus ante, ut alicubi positus vestro possim occurrere adventui.

EPISTOLA XXXIX. — Ad Willelmum et Otonem.

Herbertus episcopus Willelmo et Otoni.

Vestris ultimis præcepistis versibus ut vobis metro responderem, et conformi stilo vestras cantilenas aut approbarem aut reprehenderem.

Sed non est sacerdotalis propositi nugas componere et poetica imitari phantasmata, cujus panes lachrymæ sunt, et cujus conversatio in cœlis est mel in cera labia sacerdotis manantia charismatibus et cœlestibus sacramentis. Non indigent aurum vel gemmæ exteriori adornatu, quibus propria sufficit pulchritudo. Meis indictaminibus pedes quæritis, sed sufficit eis eloquentiæ nitor et sententiarum pondus. Vestras solvite salivas, et vestris invenietis in versibus asinum coopertum leonina pelle. Tædet me vestrorum enervium versuum qui, velut flosculi sola superficie et nulla intus emicant solida gravitate. Decidentibus nova succedunt tempora, sed vestra in sua deformitate studia continuantur. Quales infantes tales pueri, quales pueri tales adolescentes; eisdem vestris sinalimphis et barbarissimis infantiliter inhæretis. Non est multum loqui de Ovidio, si non discatis loqui ex Ovidio. Aliud est enim de arte, aliud loqui ex arte. Ex Ovidio deinceps meo judicio loquimini, quoniam vestris non applaudo pedibus. Si sententiarum nervi defuerint, percutitur aer, et figuratur modus; sed anima sapientis sententiarum impinguatur pane,

et verbo delectatur Dei. Evanuit timor vester; quadrincentenis vel quincentenis, biduo vel triduo, solebatis me pascere versibus; ecce post duos vel tres menses veniunt viginti vel triginta versus, tanto incultiores, quanto prædictis numero impares. Cavete vobis, non stipiti sed homini scribitis acutissimo et perspicacitissimo, qui uno vestro audito verbo, totam animam vestram penetrat et contuetur.

EPISTOLA XL. — . . . . .

. . . .

Vester Zacheus decurio factus est, nostrosque curules (*sic*) vestro præfuit eliconi. Expergiscemini, studete, ejus expectatione nulla interponatur intercapedo, quoniam suo nutu invinculatus citra principis Apostolorum vincula minime remeabit ad vos. Meæ displicet sollicitudini vestrorum multitudo sabbathorum, et qui nec ipsis parcere debueratis saturnalibus, quotidianas celebratis expectationes, vanis pacentantes manibus, dum studiorum enervetis rigorem. Indorum gignosophistarum fuit consuetudo sub divo nudos philosophari, et ciba-

rio pane et vili isopo vitam non nutrire sed potius sustentare. Ita et Egypti quos primos hominum confirmant, suam philosophiam ali esurie disputabant. Nostri quoque academici stantes comedebant, cibos potius prægustantes quam suos aqualiculos escarum multitudine onerantes, ne gravatis crapula stomacis, philosophantium acies intellectuum obnubilaretur vel obtunderetur. Habuit et synagoga Heliam, habuit et Joannem, habuit et filios prophetarum quorum numerus non minorabatur, licet inter eos nullus nasceretur. Oliva fructifera, ecclesia videlicet, sponsa Salvatoris, suorum continentium decoratur agminibus, eo latissime dilatata, ubi nomen Christi fuerit invocatum. Habeat et nostra domus celibes gignosophistas, nostros scilicet bigas, quos de corde meo genui, et de meæ mentis lacte materno affectu educavi. Ii eluceant cum fratribus suis, exemplum parcimoniæ sobrietatis et pudicitiæ, humilitatis et patientiæ, puritatis et obedientiæ, ut nostrorum adolescentum celibatu provocati, nostræ grandeviores ecclesiæ vera in religione confirmentur. Mitto munus, non munus, sed muneris arram, missurus munus conspecto munere vestro.

EPISTOLA XLI. — Ad Willelmum Turbinem.

Herbertus Willelmo turbini.

Tuorum pœnitentiam excessuum tanta ego cum majori audio exultatione, quanta tu eos defles majori amaritudine : ut enim qui minima spernit paulatim decidet, ita is qui minima abhorret ad majora ascendere facile minime præsumet. Tuis igitur pœnitentia et confessione impetrantibus, sis absolutus ante tribunal Christi ab omni anathemate et ab omnibus peccatis tuis, ea potestate qua dicitur Apostolum principi : Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solueris super terram, erit solutum et in cœlis. De his hactenus ceterum vestræ lectionis deliciarum tædet sollicitudinem meam....... ut tantæ difficultatis summam percurrentes, arreptæ disciplinæ laborem prægustaretis, et postea eandem repetentes, in ejusdem studio diligentius immoraremini. Vestro familiari torpore meæ præceptionis utilitati obedire dissimulatis; irascerer juste, sed pater sum qui etiam nævos in liberis suis gratanter tolerat, nec potest negligere procurationem prolis, qui eam vero com-

plectitur amore. Legite ergo dialecticam, idus ordinationem meam, altiori eam studio repetituri continuo, si vester neglectus non obstiterit. Scribe mihi frequenter prosaice, et proprietatem dictionum et sententiarum diligenter attende in scriptura tua.

EPISTOLA XLII.—

HERBERTUS NORWICENSIS.

Conquereris de me, et velut meam accusas invidiam quod te non permitto legere, nec nostrorum lectionibus juvenum interesse. At ego nec tuæ invideo scientiæ nec te lectionibus juvenum prohibeo interesse. Non mutor tibi, neque extraneus fio; qualis fui hactenus, talis tibi maneo, excepto quod quantum religiosior efficeris, tantum circà te mea dilectio quotidie excrescet, Lege igitur et disce quantum vis, et ubi vis, et de peccato tuo peccatum meum non facias. Subintelligo unde claudices et unde exorta est hæc tua ægritudo. Vides tibi exequari socios tuos, et dedignaris habere pares quibus non potes esse major. Ne timeas non vinceris, si quidem te non habueris in fratribus tuis charitativè et humi-

liter dilexeris? Dicis quosdam meæ fieri ingratos doctrinæ, sed ego diem hominis non attendo: de meis omnibus bonis apud Norwicum solius Dei expecto retributionem.

EPISTOLA XLII. — AD WILLELMUM TURBINEM.

HERBERTUS WILLELMO TURBINI.

Juste irascor tibi, et condigna stomachatione tuam reprehendo insolentiam, quod non tuo, sed ore alieno, tui cordis voluisti meis auribus revelare secretum. At tua et mea anima non isto amicitiæ vinculo conglutinabantur. Scribe mihi igitur ex tui cordis incausto et linguæ et tuarum manuum calamo, quidquid vis, et quibus tuus animus sollicitetur motibus. Medico morbus, et sacerdoti revelanda est conscientia; sic ex medico salus et ex sacerdote recipiendum est consilium.

EPISTOLA XLIII. — AD FELICEM.

HERBERTUS FELICI.

Herbertus pater, Felici filio. Egregie cœperas, et tuam adolescentiam honestis occupabas studiis. Scribebas Augustinum et tanti doctoris confirma-

baris pane, et inebriabaris vino divinarum scripturarum, speculatione tuo reformandus Salvatori. Ista negligens, ad grammaticam descendisti, grammaticis, ut decebat, cupiens instrui regulis; laudabile studium, si in proposito perseverasses, sed totius nostræ domus fatuitatum scriptor factus es, et velut in sentinam omnis impudicitiæ navis, ita in te omnium fatuorum opuscula confluunt. Tu martirologia, tu psalteria, tu breviariola, tu omnium furtiva scripta componis. Hac tuæ indolis inclinatur expectata maturitas, ut nihil facias in domo nostra nisi quod non erit faciendum. Audi consilium patris tui, et prioribus renovare studiis: aut scribe Augustinum, aut tuam disce grammaticam, quoniam qui omnibus appetit placere, nemini placet. Ama Christum, et in ejus confirmare veritate, eos velut serpentes evitans qui te a Christo avellere moliuntur.

EPISTOLA XLV. — Ad Joannem.

Herbertus Joanni.

Herbertus suus Joanni suo, salutem. Tua in epistola, Joannes, mihi multas gratias agis, velut in quo multæ sint gratiæ: sed tuis præconiis munus

et munificentia mea tanto inferiora sunt, quanto tua præconia et rerum inventione et eloquii suavitate nostrorum temporum oratores præcellunt. Senecæ cola et Tullii comata tua mihi scripta reformarent, nisi qui tua eo meo videntur judicio elegantiora, quo et legis vino et evangelii infunduntur lacte. Vera loquor, nullis tuis adulans divitiis, mihi miraculo est ingenium tuum, qui et extra cubile philosophiæ in philosophia requiescis, et extra spiritus domicilium spiritualiter delectaris. Age igitur quod agis, operare quod operaris; insiste stilo, vaca lectioni. Qui in te hujus ingenii collocavit gratiam, quid inde facturus sit præscivit ante mundi constitutionem; patienter expecta, tibi operandi materiem præparat præclara qui contulit instrumenta. Majora dicerem, sed vota suppleant quod rationi deest. Propino tibi; cum bibis de cuppa mea, duplum pro simplo meo promittis. Meis in necessitatibus tua labia efficiuntur holocaustum, verba cordis si cordi sonent, et inspiciat intellectus quod pronunciat intellectus. Exaggeras parva, extollis modica, paternorum affectuum imitator qui liberorum maculas pulchritudinem appellare solent. Promittis amorem, sed

amore tuo meum exequare non potes redamorem, cum in carne post Henricum Regem nihil dulcius est amore tuo. Esto igitur tu ego, ego tu, tua mea, mea tua, non ut in Amphitrione Mercurius simulavit Sosiam, sed ut in Christo Joannes Heliam, et Helias representat Joannem, ac in communione vinum excipio ut tua prælatio meæ præcipiat subjectioni, et mea obediat subjectio tuæ præceptioni. Nostram non exhorreas paupertatem, quoniam Christus pauperes reges cœlorum appellat, et in omnibus abundat divitiis cujus animus est plenus veritate dilectionis. Contuli.

EPISTOLA XLVI. — Ad F. (Felicem?)

Herbertus F. (Felici?)

Herbertus F. Mandas tuum psalterium vel pactum pro tuo psalterio reddi tibi; at ego non psalterium, sed pactum pro psalterio reddo tibi, tres videlicet solidos, in ligno et atramento, quos etiam in nummis reddidissem tibi, sed non est monachorum habere argentum, et non est patris nato porrigere scorpionem piscem petenti.

EPISTOLA XLVII. — Ad Otonem et Willelmum.

Herbertus Otoni et Willelmo.

Sunt quædam genera ferarum quæ desinunt parere cum sui fœtus incipiunt concipere; aliter enim mansueta animalia ferinas non sustinerent injurias. Ita et ego, dilectissimi filii, vobis factis poetis proscripsi poetriam, vile judicans eis me occupari studiis quibus vestræ adolescentiæ indolem exerceri præcipio. Scribite igitur mihi poetice, figurate versus, componite odas, psallite rhithmos, et omnium genere musarum vestrum delectate senem. Ego deinceps arbiter residebo, et vestra discutiens poemata, victori palmam, neglectori præparabo punitionem. Venio domum ab aliis necessaria, a vobis singulariter poemata recepturus.

EPISTOLA XLVIII. — Ad . . . .

Turmas armentorum et ferarum omnium greges fertur habuisse Jacob cum reverteretur Me-

sopotamia Siriæ ad Isaac patrem suum in terram promissionis. Is vehementiæ et suggestioni fratris sui Esau volentis secum pergere, respondit : Frater, nosti quia habeo parvulos et mulieres et oves fœtas; si plus quam possibile est fecero laborare in ambulando, scio qui omnes morientur una die. Ita et ego, frater, non impono vobis onus quod vestri humeri ferre non possint, nec quæro gloriam de austeritate et adinventione mandatorum; una sufficit mihi vestra salus. Vitia et facultates peccandi excludo, et solius vestræ regulæ religioni vos religare contendo; habetis licentiam loquendi in claustro vestro, sed determinatis et consuetis horis; habetis licentiam loquendi in auditoriis vestris, sed de honestate et utilitate ecclesiæ vestræ vestrarumve necessitatum competentiis. Porro sermo detractorius et murmuratio mordens procul sit ab ore et a corde monachi, et in auditorio, et in atrio, et in omni suæ consistentiæ loco; detractores et murmuratores Apostolus Deo odibiles appellat. Judicate quantum malum sit et monachum vacare vitio quod Deus omnino odio habet. Unde sequitur neque murmuraveritis sicut

quidam eorum murmuraverunt et a serpentibus perierunt. Loquimini igitur more et consuetudine religiosorum virorum in vestris concessis auditoriis, sed, ut prædixi, de honestate et de utilitate vestra. Ego certissime nihil aliud præcepi.

EPISTOLA XLIX. —Ad Willelmum.

Herbertus Willelmo.

Si te amas et de meo vis exultare amore, labora terminare topicas differentias, et diligenter accipe prædicamenta Aristotelis antequam veniam domum. Non attendas tui collegæ delicias cui sufficit nosse nomina librorum quos legit, et suæ lectionis nominare folia; tu vero antelucanus surge, continua noctes diebus et dies noctibus in auditu et meditatione dialecticæ disciplinæ. Cupio te meo informari exemplo, et tuam mentem meæ mentis sigillo imprimi, paternæ aviditatis expectatione flagito. Ferve igitur studendi incendio, et tanto impigrius ad epulas philosophiæ festina quanto de iis non hominibus sed Deo famulaturus es. Tuo cordi tui propositi re-

veletur archanum, et invenies quantum sit impar tuus labor ad futuram quietem quæ tuæ præparatur expectationi. In domo Dei te constitui lucernam, accendere luce sapientiæ, illuminare scientiarum claritate. Præpara inexhauriendos thesauros, ut habeas unde proferas nova et vetera tuis auditoribus. Tuo desiderio trivium commendo et quadrivium, septem videlicet liberales artes, quoniam qui harum eruditionis est expers, frustra se philosophum profitetur. Saluta tuos discipulos, ita tamen si sibi injunctam summam versuum reddiderint mihi. Felicem volo abundare leguminibus et pulmentis. Contuli.

EPISTOLA L. — Ad Gislebertum.

Herbertus Gisleberto.

Idem cor et eandem animam. Misisti mihi quinque pira et quinque cotana, grande munus, sed si sub sacro continerentur numero. Sed, ut nosti, simplum quinque corporalia, et duplum legem significat Judeorum, qui et ipsi sub elementis hujus mundi servientes erant. Unde libet igitur inspicias nullam in tuis perfectionem

invenies quinariis; debueras saltem misisse tredecim propter Salvatorem et Apostolos, vel viginti quatuor propter illos Apocalipsis senatores, aut centum quinquaginta tria propter Evangelii piscinam, vel maxime CXLIIII milia propter martyrum infinitatem. Hac summa tua flagraret oblatio et mittentis gratias cornu vernaret abundantiæ. Verumtamen tua mihi attenduntur exenia (*sic*) non quantitate dati, sed affectu donantis, qui tantum dedit quantum habere potuit; in dandis enim recipiendisque muneribus, non munerum quantitas sed animorum qualitas colligenda est. Ibis igitur et æquora transfretabis securus, officii nostri auctoritate absolutus ab omnibus peccatis tuis de quibus confessionem feceris, et a quibus deinceps abstinere volueris. Recordaberis nostri et ages causam nostram apud Regem Angelorum, et ego tui recordabor et agam tuam causam apud Regem cœlorum, quotidianis exorans holocaustis, ut tuæ patriæ et nostris oculis reddat te incolumem omnipotens et misericors Deus, adolescens omni jocunditate temporali mihi suavior.

EPISTOLA LI. — AD INGULPHUM PRIOREM.

HERBERTUS INGULPHO PRIORI.

Proposueram Alexandrum alienare a nobis et a conversatione nostra, sed suæ importunitatis constantia meum propositum emolluit. Opponebam ei girationes et suæ vagationis circuitus, sed ipse in suorum ignaviam prælatorum hujus criminationis reserebat invidiam. Arguebar solidos quos pro suarum scripturarum laboribus expostulaverat; at idem hoc abnegans, in nostro victituum claustro, solo cibo et vestitura se contentum fore confirmavit. Unde, obsecro, colligite fratrem in communione et obsequio vestro, quoniam ut ex veterani indurata fatuitate desperatio, ita ex adolescentis lenitatibus expectari potest correctio. Vivat igitur et servat Deo frater Alexander in domo nostra, et sit obediens præceptis nostris, quoniam sicut beatus Benedictus evangelica confirmat astipulatione, ubique uni Domino servitur et uni militatur Regi. Facimus professiones et loco et Deo, sed loco propter Deum; quod si contigerit locum deviare, adeo ut cogat vos a Do-

mino peregrinari, mutandus et locus et uni inhærere Deo, juxta veram prophetæ sententiam : Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Fundamenta turrium tanta invadite alacritate, quanta devotione in Christo quæritis quiescere, qui est turris nostræ fortitudinis. Pax vobis et cunctis fratribus nostris.

EPISTOLA LII.—Ad eundem et cæteros Norwicensis ecclesiæ procuratores.

Herbertus episcopus Ingulpho priori et cæteris Norwicensis ecclesiæ procuratoribus, salutem.

Quantum mihi vestra honesta et commoda cara sunt, tantum mihi vestra contumeliosa et dedecora displicent, nec meus requiescit animus quandiu vestræ religionis habitus in sinistram opinionem transfertur. Ecce, ut audio, nihil est tutum in domo vestra, sed intestinis latrociniis sancta ecclesia coinquinatur. Perditis libros, sciphos, coopertoria, et omnia nisi ea quæ vestrorum utilitati furum necessaria non sunt. Nesciebam Judam latere inter vos, sed et ut Judas de furto ad

proditionem descendit, et post proditionem sui ipsius execrabilis factus est parricida, sic et is vestræ suppellectilis inimicus infra paucos dies, Dei districto judicio, merito anathemate condempnabitur; ut enim putredo est in corpore et tamen non est de corpore, ita fur iste intra vos est, et de vobis non est. Sed incuria et ignavia vestra inter vos delitescit; ecce colloquia clericorum; ecce familiaritates famulorum; ecce pullos quos quidam Domini nostri in curia et extra curiam nostram quotidianis rapinis alunt. In cœlo Sathanas, in Paradiso serpens, in archa Cham, inter apostolos Judas, inter diaconos Nicolaus fuerunt. Sic et inter vos quidam non monachi sed demoniaci subintraverunt, vestræ libertatis exploratores et religionis attritores et absumptores. Negligentissimi et tepidissimi pastores, quare ovile Christi dirissimis lupis apparuistis? Certe Christus sua morte suas oves redemerat, quas bestiarum dentibus exponitis dilaniandas. Non ut homo irridetur Deus; nullas ei prætendatis excusationes, quoniam vestræ inertiæ et incuriæ deputat quidquid in domo sua inique et contumeliose perpetratum est. Meos quidem oculos eva-

dere potestis, sed Deum conscientiarum arbitrum vestrarum sollicitudinum studia minime latent. Plura declamarem, sed corrigibili animæ sufficit recognoscere quod neglectum est. Eæ litteræ coram omnibus in capitulo publice recitentur et exponantur.

EPISTOLA LIII. — AD W. G. ET W. APARES.

HERBERTUS W. G. ET W. APARIBUS.

Scribo paribus, dispar licet causa singulos constringat; aliter enim præceptor, aliter discipuli commonendi sunt. Præceptori præcipitur, ut sollicite præsit exemplo, potius quam verbis instructurus discipulos suos. Discipulis æque dicitur ut invigilent suum exequare magistrum, quoniam tunc discipulus perfectus erit, si scierit sicut magister ejus. Aspernatur philosophus opiperata convivia et fecunda pocula; abstinentiarum et vigiliarum continuatione delectatus, voluptatis servus philosophus effici non potest. Liberandus est nexibus vitiorum qui liberales artes assequi desiderat; non enim ab re liberales, sed ob id maxime quod studentium animos erigunt in liber-

tatem. Laborate finire dialecticam, quoniam patefacto hostio interioris domus, penetralia facili labore inveniuntur. Attendite quæ dico; nulla enim latent quem dialectica illuminat; verum dialecticæ subtilitas non nisi sollicito animo et abstemio corpore et vigilantibus oculis obtinetur. Et alia manu, tædiosa est mihi Ovidiarum fabularum annua prolixitas; finite has ineptias, ut saltem in civitate dominica cognoscamini in aliqua utili lectione. Abeant preces, paternus conticuescat affectus; judicis et magistri deinceps severitatis districtionem inclementis expectate.

EPISTOLA LIV. — AD G. FRATREM UNICUM.

HERBERTUS EPISCOPUS G. FRATRI UNICO, SALUTEM.

Tuam multis deprecationibus dapsilitatem exoro, ut accommodes mihi buxeas tabulas quas tibi tuus amicus Ricardus archidiaconus donavit, cujus indicio hoc ipsum scio quod has tabulas habeas, eo signo quod tuas tabulas ludo suo cuidam Oerico dedit, et pro eis istas tibi reddidit. Ne timeas tenacitatem meam, quia non curo debere cuidam aliquid præter solius charitatis fructum.

EPISTOLA LV. — AD G.

HERBERTUS G.

Dira conditio, impossibile mutari. Quid factus es? Lotus Ethiops, Ethiops est, nec dealbatur baptismate, quem naturalis infuscat nigredo. Multa Britonum colloquia, sed nullus exequitur promissionem suam. Quam prompti ad invadendum, tam leves ad fugiendum Britanni. Aut sanus debueras exequi laborem quem incœpisti nobiscum, aut infirmus nobiscum supplicare Deo pro infirmitate tua; neutrum faciens, tuas omnino promissiones falsificasti. Expulimus pro te quem habebamus magistrum, et tuis inebriatus avenis, fœcundis calicibus vacas, propositæ philosophiæ totius immemor. Factus concivis et conclaustralis noster, quare rure habitas? Apud nos Deus et sanctorum angelorum continua conversatio. Poti cœlesti nectare, obhorremus fœdari carnalium fecibus negotiorum. Levissime et fallacissime omnium Britonum, aut festina venire domum, aut præpara te excipiendo anathemate quod tibi præparatur.

EPISTOLA LVI. — Ad Widonem anachoretam.

Herbertus episcopus Widoni anachoretæ, salutem.

Ex abundanti quæris nostrarum colloquia litterarum, dilectissime fili, cum tua conversatio in cœlis sit, et linguis angelorum loquens, humanis minime consolationibus indigeas. Tibi lex et gratia florentis eloquentiæ componuntur orationes. Inter prophetas et apostolos recumbens, cœlestibus pabulo et potu reficeris et inebriaris. Non desunt tibi cœlestium conviviorum moderni administratores, quorum tanta copia, quanta tuæ diligentiæ legendi voluntas exarserit. Nostros igitur furfures quare repetis, qui talium abundantiis similaginum delectaris? Non est purus sermo concionatoris quem libidinum sordes commaculant, et quem mundanorum negotiorum aculei continuis punctionibus lacerant. Unde, dilectissime fili, noli me appellare Noemi, sed appella me Mara, quoniam multis peccatis et multorum peccatorum pœnis meis promerentibus flagitiis subjectus sum. Verum, quia excellentiores cedros diriora feriunt fulmina, verecunde et humiliter

tuam deprecor cautelam, ut tuæ puritatis et simplicitatis thesauros custodias a rapacitate arrogantiæ, invidiæ, iracundiæ, tristitiæ, vanæ gloriæ; quoniam quanto isti inimici ex inferno inferiori procedunt, tanto tibi et aliis magnis præliatoribus cœlestis militiæ metuendi sunt. Omnes quidem metuendi sunt hostes, sed ii maxime qui ex celsitudine virtutum et ex gloria triumphorum oriri solent. Plura dicerem, sed membrana deficit, et meis invitantibus complicibus, officinæ carnalium negotiorum reddi cogor. Et alia manu jacenti obsecro, mihi peccatori tuarum orationum porrige manus.

EPISTOLA LVII. — Ad fratres Norwicensis ecclesiæ.

Herbertus Norwicensis ecclesiæ fratribus, salutem.

Mea fuit hactenus consuetudo, ut a vobis corpore abiens, animo et verbis vobiscum remanerem, nec possent dividi alternatione locorum, quorum erat cor unum et anima una. Sed ut malus abolendus est usus, ita et bona consuetudo conservanda est. Scribo itaque vobis

ut id ipsum discatis omnes, et non fuerint in vobis scismata. Perfecti in fide, veritate, charitate, obedientia, humilitate, pudicitia, simplicitate, patientia, paupertate, aliisque hujusmodi officiis, quibus alienati temporalibus, externis recipimini palatiis; ecce ego coram Deo loquor, non Dominus sed vester servus propter Deum; tenete regulam vestram, ædificate vestras domos, frequentate ecclesiam. nullis absentes obsequiis, silentes in claustro, aliisve regularibus officinis. Ubi omnes, ibi singuli, et ubi singuli, ibi omnes; omnia communiter fiant, et nullus singularitati relinquatur locus. Deus lux est, et nullæ sunt in eo tenebræ; qui sequitur veritatem venit ad lucem, et afficitur filius lucis, juxta illud Evangelii : Omnes filii lucis estis, et non filii tenebrarum. Mei filii, utinam aut vester in meo, aut meus in vestro spiritus esset; plane videretis quibus laboribus vestram parturio salutem, pio timore sollicitus, et pia sollicitudine timidus, ne et inter vos Sathanas aliqua præsumat. Quid purius cœlo? sed et in angelis suis reperit Deus pravitatem. Quid Paradiso felicius? sed Adam in Paradiso prævaricatus est mandatum Dei. Bre-

vis archa, sed et ibi Cham magicæ et idololatriæ conservavit artes. Apud Judæos crucifixus est Deus, et quem ab orbe condito Deus aluerat, is plus persequitur Deum per universum orbem. Madet mundus sanguine martyrum, et apostatarum continuis persecutionibus ubique sancta laborat ecclesia. Nullus Sathanæ invius locus. Mille annis solutus est Sathanas, caminus noster, si tamen in eo non ut paleæ comburamur, sed velut aurum purgemur. Maxima res monachatus, sed monachatus non est pulla tunica, sed humilitas et obedientia, castitas et imitatio vestigiorum Salvatoris nostri. Clamat Veritas : Qui omnibus abrenuntiat, is est meus discipulus. Subjungit Petrus : Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Vos, inquit Veritas, qui reliquistis omnia et secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel; et omnes qui reliquerunt domum, vel patrem, aut matrem, aut servum, aut fratres, aut sorores, aut agros propter nomen meum, centuplum accipient, et vitam æternam possidebunt. Videte, filii, propositum et pignus quibus Deo confederati estis. Nostrorum Deus scrutator est

cordium, et nostra penetrans viscera, pervenit usque ad divisionem carnalium atque spiritualium cogitationum nostrarum. Nulla media relinquuntur monachis : aut enim nihil habebit monachus et habebit Deum, aut aliquid habens perdet Deum; arcta via, sed iis gradibus ascenditur ad Deum. Prior, vado ad curiam, domum Dei commendo tibi, et te commendo Deo. Præpara materiam futuro operi, et maxime lapides, tuum exalacritaturus patrem per omnia, si meam non neglexeris ordinationem. Domini, sedete in claustro vestro et quiescite, soli vacantes Domino, et præcaventes ne turpis vel inanis, aut detractorius sermo linguas vestras coinquinet. Agite gratias, quod non mihi in deliciis scripturarum Deo servire cogemini. Adolescentes, non dedignemini vestri pedagogi correctionem, et præparate absentes quid meæ præsenti condignum respondeatis. Postremo toti conventui nostro gratia. Pax, perseverantia veritatis a Deo patre nostro et Domino nostro Jesu Christo in Spiritu Sancto, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA LVIII. — Joannes ad Herbertum.

Herberto episcopo Joannes.

F. Domino patrique suo Herberto episcopo suus J. omnem salutem et obedientiam. Oportuno tempore, licet sero, tuam accepi, mi pater, epistolam. Cum enim Roma redissem, et cum coequalibus meis tanquam receptus in patriam exultarem, nuntiatus est mihi repente recens et insperatus matris meæ decessus, qui, nimirum, eo gravius me gravavit, quo mihi est miserabilius inducatus. Ante mihi mors quam ejus infirmitas est narrata, priusque mortem quam mortis causam agnovi. Confudit gaudium meum subitus dolor, totumque præcedentis risum lætitiæ sequens in luctum ita mutavit, ut eodem pene momento lachrymarum rivulos admirarentur quo risum audierant qui astabant. Contuli me sine mora in cubiculum meum, ut dolori licentius satisfacerem et vacarem. Post triduum autem oblata est mihi tuæ pagina charitatis, ex qua menti meæ tanta tuorum est eloquiorum infusa suavitas, ut tua meum videretur oratio mitigare dolorem, et nisi Deus humilitatis

in me gratiam conservasset, tantarum poteram laudum præconiis superbire. Delectatus sum usquequaque in orationis tuæ deliciis, et quia cibis abstinueram, tuorum sum confortatus alimento verborum. Admiratus sum litteris tuis nullum genus nullumque modum deesse dicendi, in quibus utique pinguedo resultat in floribus, et sensus longos brevis assignat versiculus. Gratias igitur Deo, et gratias tibi, cujus mihi gratia quam ex meis meritis non habebam, perpetui contulit nominis dignitatem. Inscriptus sum factis tuis tanquam annalibus Romanorum; quod jam super me et plausibiliter declamasti, annosa prorsus non poterit abolere vetustas; operis enim tui beneficio memoriale meum in sæcula prorogasti, ut tuo munere prerogativam laudis accipiam, qui de meis nullam habeo titulis claritatem. Nunquam esse potest obscurus cujus tu præconia prædicabis. In verbis sane tuis philosophica resonant rudimenta, et utraque duum scola canonis aperitur. Tu enim et in Christi curiam susceptus, et mamillis evangelicis es lactatus, et in omnem morum et fidei sanctitatim cœlesti pane nutritus. Amorem igitur quem promisi, si non custodio,

non sum dignus quem iterum tuæ litteræ visitent aut extollent. Quæ tam inter Orestem et Piladem habita est de morte contentio, habet inter nos de prælatione futuram altercationem non ambigo, nisi citius eam et ordini simul et ætati annuas; præcedis enim me sapientia, ætate, ordine, et gratia apud Deum et homines. Vale qui potes. Memor esto matris meæ, Domine pater, et roga fratres nostros ut intercedant ad Deum pro ipsa. Ambrosianum illud quod tu etiam tuis subjunxis litteris, non omitto : Contuli.

EPISTOLA LIX. — Ricardus abbas ad Herbertum.

Herberto episcopo suo charissimo patri Ricardus abbas.

Vitam consequi sempiternam, sicut humanæ propaginis adversarius, totius religionis emulus, homini ex quo illum Deus creavit, invidit, sic idem in terris quoque per alumnos et sequaces suos in posteritatem sobolis vetus odium nequaquam desinit exercere. Immo etiam paci charitatique contrarius, eadem compulsus invidia

qua ejecit protoplastum de Paradisi amœnitate et gloria, ingerens orthodoxis patribus tranquilla contemplatione de gentibus scismata, dissensiones, in sanctam eos infestat ecclesiam, ne regni cœlestis gratulentur beatitudine, qua exul abiit temerarius hostis execranda sua præsumptione. Erigunt enim sese quasi in conflictum nostræ militiæ; sed vestra securus loquor tuitione : nonnulli perversæ mentis canonicæ feritatis oblatrantes, monachicæ invidentes religioni, livorius quippe succensi facibus quibus exæstuant, in typum sese elationis extra et per instigationes pravæ locutionis monachatum vituperant et opprimunt, suarumque jactationum nubilo, intimam contemplationis nostræ serenitatem obtundunt. Asserunt namque, sed inani verborum profusione, digniores gradus ei monachatu, et ad salutem animarum parum vel nihil proficere alicui sæculo renuncianti nostræ conversationis habitum; liquet autem falsissimum esse, quia irruente mortis districtione, sacerdotes et laici et Reges etiam et cujuscumque sint societatis, necessitate compulsi, monachi efficiuntur, non sacerdotes nec canonici. Eorum igitur omni detestatione floccipenda est sententia, qui vitam

spernunt et irrident eamquam investigandam, sequendam et charitatis studio subtiliter intuendam, sacratam misteriis patribus admirandæ sanctitatis, in mundo Redemptor noster misericorditer intimavit, ut et prius magister hanc innocentiæ viam sua conversatione suos fideles edocuit. Illatas porro perversorum secura tamen mansuetudine contumelias toleravimus; juxta quod fidelis Deus qui non patietur vos temptari supra quam potestis, sed faciet etiam proventum ut posset sustinere. Sed quia patronum nostrum amisimus Anselmum, tutorem et defensorem servorum, quem etsi defleamus vita temporali caruisse in terris, de eo tamen consolationem percepimus, quem exitum carne scimus spiritualiter epulantem in cœlis. Solum Dei gratia vobis restat asylum. Tu tamen, scilicet ingens contra timores invidentium, arma contra ictus persequentium. Assultus nequaquam pertimescimus exercituum, illud, ergo, quod dicitur considerantes : Quod cumque petieritis in nomine meo, fiet vobis. Ergo vestræ conservus et paternitatis amicus, et omnes totius Angliæ condolentes mecum, habitu monachili Regi Regum, Deo militantes, vestram depo–

simus charitatem, quatenus de fonte superno, quo præ cæteris inebriamini, prout vobis Spiritus sanctus effundere gratiam permiserit, cipho pietatis ovibus Domini diserto sitientibus propinare dignemini. Novellum opus ad præsens edite; musarum novo modulamine resonate; tractatum perutilem et cunctis fidelibus necessarium nobis componite, quod et vires resumant claustrales adversantibus angustiati, et pudore præ nimio refellantur inimici, quo in liquido patescat quid et aut quantum, aut quibus valeat monachatus. Hoc agite et ad hoc agendum pro Deo aliquandiu vacate. Hoc enim precamur, etsi locis dispersi, mente tamen unanimes; nec in mensà opus est superni fluminis inundatione, sed stillas impetremus aliquas nectarea dulcedine. Pia mater erigatur ecclesia, ut quæ orbata fuerat Anselmi patris ad cœlos emigratione, Herberti episcopo corroborata suffragio, equipollenter vigeat, ejus munita defensione, ut quemadmodum supernis civibus admiscetur Anselmus, sic in cœlesti requie, si non sede pontificali, Anselmo succedat Herbertus.

EPISTOLA LX.—AD RICARDUM ABBATEM.

HERBERTUS EPISCOPUS RICARDO ABBATI, SALUTEM.

Vestra virtus ardore nimio quæ monachatus religionem præ cæteris abbatibus Angliæ strenuissime defendit, meæ præcipit humilitati ut contra clericos eandem religionem defenderem, quorum, ut dicitis, corrusionibus injustis insatiabiliter monachatus impetitur. Sed absit, prudentissime pater, a vestra jussione et a mea obedientia aliquid moliri contra clericos qui sacri sunt ministri altaris, cœlibibus manipulis corpus et sanguinem Domini conficientes, et quorum excubiis ovile Dei custoditur et doctrinarum deliciis oves pascuntur Christi. Maximæ hujus dignitatis prærogativa, sed ea ad monachos tota translata est. Videte ecclesiæ officia, et vestri prælii præparatam colligite victoriam : apostolici, primates, archipræsules, episcopi, presbiteri, diaconi, subdiaconi, cæterave inferiora ecclesiæ officia in monachicæ dignitatis provinciam redacta sunt. Insulsum esset damnare quod sumus; monachus id ipsum est quod clericus; nam si monachus monadem et

clericus significat fortem, utriusque finis in unius Dei consistit theosophia. Non ergo . . . exhonorandi clerici boni propter vitia delinquentium, quomodo nec honorandi monachi propter religionem monachorum bonorum; ordinis utriusque meritis reddatur justum judicium. Veneremur clericatum et in laicis et in monachis, quoniam utrorumque par dignitas, nisi morum et vitæ disparitate confundatur. Mittite mihi libros, sicut promisistis, Augustinum et lectionarium, per servum et monachum vestrum Gregorium. Nudè impera, sed perfectio amicitiæ nostræ de vestræ amicitiæ perfectione confidit. Vale.

OSBERTI DE CLARA

EPISTOLÆ.

EPISTOLA I. — Innocentii epistola ad Henricum Wintoniensem.

Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Henrico Wintoniensi episcopo, apostolicæ sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Ex parte filiorum nostrorum monachorum beati Petri Westmonasterii, per dilectum filium nostrum Osbertum querelam accepimus, quod videlicet ecclesiæ possessiones et bona ipsius

monasterii a multis in partibus illis iis auferantur et violenter detineantur. Et quoniam ad hoc vices nostras in terra illa obtines, ut injuriam patientibus, præcipue personis ecclesiasticis, justitiam facias, per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus querimonias eorum audias et debitam iis justitiam facias exhiberi, et nullam iis injuriam vel molestiam permittas irrogari. Data Laterani V idus Decemb.

EPISTOLA II. — Ad Albericum.

Innocentii summi Pontificis sanctæque Romanæ et apostolicæ sedis legato venerabili, totiusque religionis ac famæ viro in omnibus præcellenti Domino et patri serenissimo Alberico, Dei gratia ecclesiæ Ostiensis episcopo, frater Osbertus, Westmonasterii præpositus usurpato indigne vocabulo appellatus, salutem et obedientiam et debitum ubique terrarum tantæ personæ reverentiam.

Quia tibi, antistes Dei electe, nihil deesse cognoscitur ad doctrinæ salutaris integritatem et ad

justitiæ plenitudinem, beatissimus Petrus, princeps ordinis apostolici et clavicularius regni, tuo credidit ministerio suæ fidei firmitatem. Unde beatum judico omniumque penetrale virtutum reverendum censeo pectus tuum, de quo veluti ex adytis divina prodeunt oracula et aromatum pigmenta cœlestium dulcedine spirant gratiosa. Aura namque exsurgens ab oriente salubris per te fines toxicatos invisit occidentis, in quibus corruptus aer morum offendiculam peperit, animabusque multorum virus æternæ mortis infixit. Igitur medicinalis virtus apostoli aggredietur in te avertere desolationem regni, in quo quisquis tantæ paternitatis reverentiæ detrahit, Romani nominis dignitatem minuit et offendit. Gladio proinde Sancti Spiritus omnis est apostata coercendus, induendique sunt manu tua lorica justitiæ, quos rigor ecclesiasticæ circumdat disciplinæ. Balthasar enim ad dispergenda vasa domus Domini manus jam ubique extendit pollutas in scelere, quem tanquam Malchum sævientem in Christum, auctoritatis apostolicæ persequaris ultione. Ozia titubantem undique apud nos arcam Domini indigne manu quasi sustinet. Sed tu,

qui angelus Domini Sabaoth appellaris, age ut citius præfocatus expiret ignis Domini succensus, Nadab et Abiu non in ira furoris sed rationis devoret, dum ignem uterque alienum in sacrificio offerre non timet. Dathan et Abiron terra viventes absorbeat, et Oziam sacerdotium usurpantem lepra percutiat, magusque Simon corruat, indigno volatu tendens ad sidera, et hæreditas Domini per te respiret jam usque ad interitum pene consumpta. Exosa enim vivit, sicut Symmachus dicit, ut opem desiderantes ad suffragia probata confugiant. Ad te itaque confugimus, qui mala superiora annis pluribus experti sumus, quem et claritas commendat ex nobilitate generis et majestatis potentia ex auctoritate legationis. Respice ergo, pater pie, respice pietatis intuitu ecclesiam nostram, et super candelabrum erige, quæ diutius in pulvere, lucernam nostram. Dominus enim et princeps patriæ nostræ rex insignis Edwardus, cœlestibus mundo miraculis toties ostensus, dignus est attestantibus signis celebri festivitate inter homines in terris, cujus copiosa apud Deum merita coronantur in cœlis. Lege itaque ejus vitam et nobis in auxilium salutare

porrige dextram, ut et tibi ante Deum hoc deputet in munere, quod mundo gaudere detur de præclara tanti regis festivitate. Oleum enim effusum nomen tuum, cujus de longinquo ad nos usque pervenit opinio, et nunc odorem circumquaque celebrem spargit in proximo. Sit igitur ager noster, ager ille, cui per te benedicat Dominus, et sub tanto cultore sterilis ficus redeat in gratiam, quæ hactenus non floruit, nec fructus suavitatem protulit gratiosam. Seneca namque dicit : Habet hoc optimum in se generosus animus, quod concitatur ad honesta. Neminem excelsi ingenii virum humilia delectant et sordida, magna quam rerum species ad se vocat et extollit. Intende proinde, sacerdos egregie, generoso labori tuo; labor tuus consolatio sit ecclesiæ; officium tuum exaltatio sanctorum est. Vocat ergo te cœlitus ad suum Christi Dei Edwardus obsequium, cujus species integritatis adhuc hodie, ut confidimus, ostendit in carne quanta virginitatis titulos mentis coluerit puritate. Ejus temporibus exaltatum est solium justitiæ, ita ut vitia hunc experirentur judicem, et mores generosi inter domesticos provisorem. In persona totius ec-

clesiæ nostræ, tuæ aggressus sum majestati scribere, et tanti patris authentica subsidia postulare. Ex diversis namque hoc opus fratrum imperio collectum est schedulis, quas sancti patres nostri nobis reliquerunt scriptas, qui eas viderunt et audierunt, sicut referimus, perpetratas. Tuæ itaque celsitudini novum regis opus sacrandum dirigitur, quia, inspirante spiritu veritatis, sic retexere ordimur historiam, ne mens officiosa lectoris eam sentiat impolitam.

EPISTOLA III. — AD HENRICUM WINTONIENSEM.

Sanctæ Romanæ et apostolicæ sedis, summo Pontifice Innocentio præsidente, venerabili legato, serenissimo Domino et suavissimo patri, Henrico Dei gratia Wintoniensis urbis episcopo, sanctitatis ejus et gratiæ servus, frater Osbertus de Clara, Westmonasterii præpositus, debitam tanto regali sacerdotio reverentiam et canonicam secundum decreta Patrum obedientiam.

Ingenuus sanguis et innata nobilitas regii generis egregiæ majestatis vestræ, pater excelse, ma-

gnificant præconia, dum ex officio vobis injuncto cunctis responsio redditur gratiosa. Confluunt undique ad desiderata tam præcellentis personæ præsidia agmina certatim ecclesiastica, et quem fama virtutis et titulus laudis ad cœlos usque sublimiter extulit, triumphare solenniter in virtutibus sanctorum attollendis indicit. Cui regnum duplici diademate debetur æternum, quoniam sapientia Dei per quam reges regnant, prudentiam vestram ad informandos orbis principes efficaciter imbuit, et regia sanctitate ab annis puberibus absque morum offendiculo triumphaliter adornavit. Sceptrum namque regalis dextræ vestræ nequaquam ex auro fabricatur aut ebore, sed discreta facundia et sanctorum operum præcipua claritate; ac per hoc virga directionis, virga regni, virgaque sacerdotii, quod imperante Domino a vobis ad perfectionem administratur fidelium, quorum acquisitio labori vestro cumulat spiritualium in supernis copiam thesaurorum. Protendatur ergo tantæ potentiæ dextra ad opera justitiæ efficaciter explenda, et quem regii sanguinis parentalis admixtio per nos hortatur ut floreat, secundum Domini confessorem et regem Edwardum ne patia-

mini ulterius, ut inglorius delitescat; cujus tot et tanta in temporali vita et post transitum ejus ad superos visa sunt in mundo radiasse miracula, quæ si per singula scriberentur, volumina inde cuderentur infinita. De quibus pauca quædam, sed relatu digna ad Dei laudem et gloriam perstrinximus, sicut rei gestæ opere probat effectus. Plurima namque ad monumentum viri Dei reliquerunt post se scripta nostri prædecessores in ecclesia, qui ei in regno temporali officiosa sedulitate ministrare soliti, studuere diligentius sanctitatem vitæ ejus sollicita investigatione perscrutari. Nonnulla vero didicimus ab his, qui ea propriis meruerunt oculis cernere, qui usque ad annum quartum, quo Stephanus frater vester regnavit, superstites extiterunt. Quædam autem ab iis, qui hæc in semetipsis senserunt audivimus, quædam in nobismetipsis, teste Deo et angelis ejus, experti sumus. Præterea causa in propatulo manifesta subnectitur, cur ei vestro in tempore, justa reverentia debeatur. Avus enim rex vester Willelmus, Angliæ triumphator egregius, Roberti Normannorum Ducis, qui in Nicæa urbe pro Christo peregrinus obiit, filius extitit,

ex amita cujus, illustris regina videlicet Emma, sanctus Edwardus procreatus exivit. Præfatus autem victoriosissimus princeps Adelam genuit, quæ preciosa et insignis virago ex Stephano comite Palatino sponso suo liberos suscepit, pontificesque et reges et consules in lucem temporalis ortus effudit. Hæc, depositis inflatæ carnis fastibus et purpura gloriæ sæcularis abjecta, apud Martiniacum et sæculum vicit et sexum. Eo in loco sibi statuens Jerusalem, tanquam Regina Saba, regem adiit Salomonem, auro et argento et gemmis onusta, et sincera mentis aromata deferens pretiosa; quæ locuta est ei omnia quæ habebat in corde suo, et a tanto rege diversis munerata donariis præmiorum spiritualium, in æternum regnatura cum Domino, introducta est in terram viventium.

Igitur, quia prolixitas epistolaris finem debitum postulat, moveat officinam pectoris vestri ad amorem tanti regis consanguineus carnis affectus, et per vos ejus celebritas in mundo manifestetur hominibus, qui in cœlestibus apud superos regnat cum angelis Deo gratus et carus. Et quia dignatio majestatis vestræ sententia alloquenda est

philosophia, quum virtus in vobis constet sita, Deorum Herculeaque manu vestra gigantes cœlis irrumpere attentantes propulsati decidant; robore fortitudinis vestræ cœlestibus gaudiis admixti et supernis sedibus digni, in terræ pulvere sine honore deinceps non arescant.

EPISTOLA IV. — Henrici Winton. epist. ad Innocentium papam.

Innocentio summo Pontifici Domino et patri sanctissimo Henricus Dei gratia Wintoniensis ecclesiæ minister et suæ sedis legatus, salutem et debitam in omnibus obedientiam.

Pro præsentium latore, fratre Osberto, bonæ siquidem opinionis viro, sanctitati vestræ, pater reverende, preces porrigimus; qui, quanta devotione ecclesiæ, in qua Deo militat et sancto regi Edwardo, qui in ea miraculis coruscat, substernatur, labor ejus et propositum et vita viri Dei et mors pretiosa manifestant. Supplicamus itaque reverentiæ vestræ, ut negotium ipsius benigne audiat, et secundum quod ei desuper datum fuerit, effectui mancipare dignetur. Dignus est

enim idem sanctus Dei in terris veneratione hominum, quem in cœlestibus castris gloria et honore rex coronavit Angelorum.

EPISTOLA V. — CONVENTUS S. PAULI EPIST. AD INNOCENTIUM PAPAM.

Venerabili Domino et patri suo Innocentio summo et universali Pontifici conventus beati Pauli Londoniæ debitæ subjectionis reverentiam.

Latoris præsentium personam vestræ majestati commendare nos condecet, tum pro opinionis suæ bonæ siquidem reverentia, tum pro suo cui militat et laborat venerando monasterio, tum pro venerandæ et sanctæ memoriæ, qui in eadem miraculis coruscans quiescit, rege Edwardo. Excellentiam igitur vestram, reverende pater, obnixe postulamus ut præfati viri negotium audiendo benigne suscipiat, et secundum Dei voluntatem et vestram discretionem, et prædicti regis dignissima merita, nullatenus inexpletum relinquat. Dignus enim est honore hominum, qui honorem in cœlo meruit Angelorum.

EPISTOLA VI. — Stephani regis epist. ad Innocentium papam.

Innocentio summo Pontifici excellentissimo Domino suo et dulcissimo patri, Stephanus rex Anglorum et dux Normannorum, salutem et obedientiam et omnem honorem et gloriam.

Quia sanctorum regum instantia, pater excelse, multum profecit Anglorum ecclesia in religione Christiana, ut beatis Apostolis Petro et Paulo, omnibus regnis specialius annua tributa persolveret, hoc adjecit Omnipotens Deus ut Romanorum Pontificum grata benedictio eandem gentem familiarius confoveret. Unde innata pietas virtutis et sanctimoniæ tanta in sanctis Anglorum regibus, Deo donante, consuevit excrescere, ut quosdam Deo placuisse sciamus per martyrii meritum, nonnullis vero ad Christum pervenisse per sanctæ virginitatis insignem triumphum; in quibus gloriosus Dei famulus et rex præclaræ nobilitatis Edwardus solenniter rutilat, et ad sepulcrum ejus signorum frequentia cœlestium claritatis suæ radios cœlitus vibrat. Tam densis enim

floruit et floret et in vita et in morte miraculis, ut uxori sacramentis ecclesiasticis alligatus, a virginitatis candore non recederet, et diversis ægritudinibus pressos allevans, post triginta sex annos suæ regalis sepulturæ integra carnis gloria repertus appareret. Hic ex amita Roberti, patris Willelmi regis, triumphatoris Angliæ, natus prodiit, qui matri, quæ me genuit in carnali genitura, pater fuit. Ea de causa vestram majestatem, gloriose pater et Domine, humiliter et suppliciter submissa petitione convenio, ut vestra instauret auctoritas diem sancti Regis natalitium celebrari solenniter in Anglorum ecclesias. Qui princeps dives opum beneficia contulit ecclesiæ copiosa, cœnobium beati Petri, quod Westmonasterium dicitur, vetustum renovavit et celsis reparavit edificiis, et possessionibus ditavit et ornamentis. Et quia illa est regia sedes mea et specialis sanctæ Romanæ ecclesiæ filia, mittunt ad vos et abbas et conventus ecclesiæ seniorem religionis et famæ Osbertum nomine, qui per quinque annorum tempora congregationi in prioratu jam præfuit, et eam utiliter ad honorem ordinis Dei regulariter rexit, vitam sancti regis et quæ necessaria sunt,

ad solennitatem vobis mittimus, ut omnia in nuntii redeuntis adventu authentica cum gaudio suscipiamus. Cogit me ad postulandum ab auctoritate sedis Apostolicæ sanctitas beati viri, cujus honorem et gloriam, qui tanto tempore quærere distulimus, cruentos quotidie prosequentium gladios cervicibus nostris imminere sentimus. Ita, pater sancte, pater excelse, ita, Dei princeps egregie, et firma columna et stabilis ecclesiæ, ita suscipiat quod petimus vestra dignatio, ut memoriæ nominis vestri per sæcula resplendeat pro cunctis in regno Anglorum pro tanto talique negotio.

Custodiat Dominus personam vestram longo tempore salvam atque incolumem ad regendum populum sanctum Dei. Amen.

EPISTOLA VII.—Innocentii epistola ad Abbatem et conventum Westmonasteriensem.

Innocentius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis G. Abbati et fratribus sancti Petri Westmonasterii, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam religiosum virum, priorem Osbertum,

a vestra fraternitate cum litteris vestris directum gratanter excepimus, eum pro merito probitatis et conversationis egregiæ, ut dilectum filium nostrum proprie et specialiter vobis commendamus. Cujus honesta importunitas adeo nos coegit vestro satisfacere desiderio, ut si sufficientia præ manibus habuissemus testimonia episcoporum et abbatum, jam canonizatum in catalago Sanctorum a Romana secum curia reportasset regem vestrum. Ea de causa, consulentibus fratribus nostris Episcopis et Cardinalibus, petitionem vestram perficere hac vice distulimus, quia quum tanta festivitas debeat fieri ad honorem et profectum totius regni. ab omni regno pariter debet postulari. In vestro igitur pendet arbitrio congrua si vultis testimonia quærere, et eadem per instructas monasterii vestri personas nostro conspectui præsentare. In his vero et in cæteris secundum Deum preces vestras libenter volumus exaudire et jura vestri monasterii vobis illibata servare. Inde est quod venerabili fratri nostro Henrico Wintoniensi episcopo, Apostolicæ sedis legato, per apostolica scripta mandavimus, ut de his qui ecclesiasticas possessiones et bona vestri monas-

terii injuste detinent, plenam vobis justitiam faciat. Vestra itaque interesse, dilecti in Domino filii, ita juxta professionem vestram religiose vivere et beati Benedicti regulam observare, ut vestræ bonæ conversationis exemplum alios ad bene vivendum edoceat, et mater vestra sancta Romana ecclesia de vestris bonis actionibus valeat exaltare. Data Laterani V idus Decemb.

EPISTOLA VIII. — AD ANSELMUM.

Suavissimo Domino ac serenissimo patri Anselmo, Dei gratia sanctæ Romanæ ecclesiæ filio uterino, servus ejus frater Osbertus, vivere et lætari in Domino.

Quoniam diligentia sollicitudinis vestræ per diversa mundi spatia multos ad amorem beatæ et gloriosæ Dei genitricis Mariæ ferventer accendit, quæ castis visceribus perpetuæ virginitatis auctorem cœli et terræ, Christum Dominum, concepit et peperit, et in multis locis celebratur ejus vestra sedulitate festa Conceptio, quam antiquitus apud patres referes celebrare non consuevit Christiana religio; unde in ecclesia Dei quum a nobis ce-

lebris ageretur illius diei festivitas, quidam post Sathan abeuntes, dixerunt esse ridiculum, quod usque ad hæc tempora omnibus fuisset sæculis inauditum, et in livore ac felle suæ malitiæ perdurantes, duos episcopos, qui tunc in vicinio forte aderant, Rogerum videlicet et Bernardum, adeuntes convenerunt, ac de novitate solennitatis exorta facta relatione, animos eorum ad indignationem provocaverunt, qui hanc festivitatem prohibitam dicentes, in concilio affirmaverunt quod cassanda esset nec tenenda ista traditio; nos tamen, cœpto Dei insistentes officio cum gaudio, gloriosam festivitatem exegimus et solenni tripudio. Postremo vero æmuli mei et qui canino dente bona invidentes erodunt aliorum, qui vanas suas ineptias semper nituntur approbare et dicta et facta religiosorum moliuntur improbare, nescientes, secundum Apostolum, neque quæ loquuntur neque de quibus affirmant, evomuere venenum iniquitatis suæ, et in me sagittas linguæ pestiferæ jaculantes, asseverarunt tenendam non esse festivitatem. . . . .

. . . .

Et quia dominus et pater noster Gilbertus, Dei

gratia Londoniensis episcopus, vir admodum catholicus, de his est sufficienter instructus, et vir vitæ venerabilis dominus Hugo, abbas Radingensis, qui hanc festivitatem prece etiam regis Henrici solenniter celebrat, in divinis et humanis est liberaliter edoctus, hortor ut cum iis de hac eadem re sermonem instituatis, et ut eos adjutores et cooperatores habeatis. . . . .

EPISTOLA IX. — AD. . . . .

Item domino, item amico, item viro apostolico scribimus. Scribimus quia cogimur desiderio, etc. . . . .

Anselmum videlicet, Cantuariæ urbis archiepiscopum, cunctis nationibus per sæcula toto orbe venerandum, quem tota Latinitas, tota Græcia ut dominum et patrem amplectitur, et in *Tractatu de processione Spiritus Sancti* magistrum recipit et profitetur; cujus morte affligimur, etc. . .

EPISTOLA X. — AD HUGONEM PRIOREM.

Præcordialissimo, reverendissimo ac dilectissimo patri domino priori Hugoni, Dei gratia familiæ beati Pancratii in obedientiæ ministerio vera cordis humilitate supposito, frater Osbertus, municipio quod Clara dicitur oriundus, et altus a sacrarum liminibus ædium, tanquam in extera regna, injustitia cogente, proscriptus, sic in ecclesia Dei temporalem administrare prioratum, ut cum prioribus bonis in senatu cœlesti inter primos palatii cœlestem obtineat principatum.

Lucius Annius Seneca Cordubiensis, patruus Lucani poetæ, quem beatus Hieronymus in catalogo sanctorum ponit doctorum, et nomen ejus inter nomina illustrium virorum scribit, multam nobis sui memoriam et verbo reliquit et exemplo. Qui quum continentissimam ageret vitam et Neronis magister esset et illius temporis potentissimus, optare se dicit in epistolis suis ejus esse loci apud suos, cujus Paulus apostolus erat inter Christianos. . . . .

De cætero, quoniam prolixior quam proposueram epistola jam modum excessit, ad illud redeo. quod in principio res ipsa coegit : de amicitia exordium accepi, in amicitiam terminare disposui. .

. . . .

Cum domino Rogero, altera anima mea, epistolam ipsam communica.

EPISTOLA XI. — Ad. . . . .

Sol ab Eois partibus corusca virtute resplendens, et nebulas circuitus erroris nostri radiis suæ claritatis perfundens, Oceani undas sulcare disponit et ærumnam nostram integra relinquere caligine desolatam. Ille honestatis exemplar et totius gratiæ speculum, forma fidei et sanctæ religionis inexterminabilis disciplina, vir desideriorum meorum et gloria mea, deliciæ regum et gratia principum, pater pauperum et mater orphanorum, qui semper decus in clero et amorem indeficientem obtinuit in populo, quem Orpheus si vidisset, fidibus et Sibylla versibus prosecuti essent in nostram, proh dolor! injuriam subita permutatione eripitur, et alienigenæ plebi nova gaudia cumulaturus abscedit. Hoc clamat vulgus,

hoc per plateas et vicos publicatum accepimus. Plorant pueri, lamentantur juvenes, senes turbantur, gemunt viduæ, virgines suspirant, plangunt pupilli; servuli dominum, filii patrem, milites ducem, domestici provisorem, et cœtus monasticus abesse queritur protectorem. Sufficiebat etiam ad votorum copiam et totius lætitiæ satietatem, quod nobis tam benigne præstabat familiare contubernium, tam lepore verborum quam schematum oblectamentis audientium animos naturalis musicæ innata suavitate permulcens. Boni vultus et jocunda facies, escas locupletes et deliciosas varietates apponebant. Et quod ad communem omnium nostrorum spectat injuriam, miseriamque renovat singulorum, cogor dicere quod cum ratione nemo potest refellere, nescit optare Pieridas nec Sirenum investigare concentus, qui illius conspectui præsens assistit. Omne enim quod vivit, quod sapit, quod loquitur, quod agit Deo, sibi subditis, universæ ecclesiæ proficit. Non habet oculos Argi ut concupiscat, nec manus Briarei ut rapiat. Liberalitate coæquatur Tito. et misericordia copulatur Augusto; facundia Ulysses exuberat. et rhetoricis coloribus tan-

quam Tullius exundat. Et quid illius laudibus laudes innecto? quid ipsius favoribus favores appono? Transcendit scientiam hominis dulcedo ipsius et bonitas, et quemdam divinum tanti viri mores sentimus spirare saporem. Testis enim mihi est ille cui humana patet abyssus nuda conscientiæ, quod, dum hæc scribimus, fluunt ex oculis vivi, et anxiis curis exæstuat cor mœrore confectum, quoniam in ejus absentia nullum infestissimi doloris admitto solatium. Sed quum eum retinere non possint singultus et suspiria graviter afflictorum, neque ab incepti itineris coercere aut retardare proposito, Angelus ille qui beato patri Tobiæ in peregrinatione sua comes individuus extitit, hunc ad loca desiderata ita prospero cursu perducat, ut, peractis negotiis completisque in pace desideriis, ad pupillos, quos absque patre jam deserit, gaudio centuplicato feliciter redeat! Sit cum illo Jesus sacerdos magnus, qui in sanguine Testamenti eduxit populum suum de terra Ægypti, et qui dextram in mari porrexit Petro mergenti, suum ei misericorditer administret auxilium, et ad votorum suorum dirigat incrementum. Non est qui hoc magis desideret quam

ego; non est qui eum magis diligat quam ego. Non me fallacem reperiet Sinonem; non Laomedonta experietur perjurum, nec aliquando Protea designabit ambiguum. Non me adulatorio sentiet more palam oscula porrigentem et clam in viscera mergere fraude seductoria pugionem. Illius non quæro regnum, sed exilium, nec expecto glorificationem, sed cum illo peregrinationem, nec cum eo obtinere gloriam, sed salvam atque incolumem illius permanere personam. Sed quid est quod inaniter laboro? quid est quod tot eum blanditiis delinio? Ismarus eum genuit et Rhodope parturivit. Nescio, nisi experimento didicero, eum ex præclara progenie domini et patris nostri Anselmi, Cantuariensis archiepiscopi, descendisse, qui et cunctis hodie viventibus sanctitate præcelluit, et in largitate misericordiæ præ cæteris prælatis specialius effulsit. Verum hæc interim taceamus, et quum redierit, revocabitur in judicium : querimonia sibi fiet de seipso; calumnias ordinabo, argumenta componam, illius teporem litteris accusabo, erectus in cubitum, in constantiam objurgabo, quod me qui tantundem diligo, mutua vicissitudine tantundem non diligit.

Apud Deum amplioris æstimatur gratiæ qui amplius diligit; ipse enim dixit : Ego diligentes me diligo; et inter sæculi potentes majoris solet esse meriti, qui majori dilectionis arcetur desiderio. Cætera enim sub secreto silentio consideranda atque examinanda relinquo. Vigeat, inquam, et valeat, et per longa sæcula subsistat incolumis, audiatque familiarius revelationem fratris mei, et aurem ei tutam præcordialiter applicet, nullique ulterius quod didicerit manifestet, meumque in omnibus negotium fideliter pertractet.

EPISTOLA XII. — AD H. ABBATEM WESTMONASTERIENSEM.

Reverendissimo domino et patri H., Dei gratia venerabili Occidentalis monasterii abbati, filius ejus et frater Osbertus de Clara, sic cum acuto ferri delinquentes corrigere, ut cum reflexo pastoralis virgæ pœnitentes in misericordia non aspernetur attrahere.

Satis satisque, pater, et ultra quam expediat, in vulnera filii tui vinum infudisti. Superest ut

oleo permisceatur antidotum, cujus ope ad salutem convertas ægrotum. Sic debet pater puerum virga percutere, ut eum a delicto liberet et errore; ita convenit patri adhibere correptionem, ne delinquentem adducat in desperationem. Si aliquid in sipienter egi quod tibi displicuit, non livoris aut malitiæ, sed simplicitatis fuit, et tamen illa simplicitas qua te provocavi, ad iracundiam lachrymarum pene quotidie fluctibus irrigat faciem meam. Non quod me conscientia arguat studio aut voluntate tibi quæsiisse detrimentum, sed quia quolibet modo paternæ severitatis me incurrisse timeo maledictum. Non enim de generatione Cham mea generatio prodiit, qui patris nuditatem contemplando derisit. Procedant testes illi, si placet, idonei, qui me arguere possint aut metas fidei transilisse, aut jurata in Christi sacramenta tirocinia votis mendacibus excessisse. Veniat Jesus Naue, qui me revera cum Achar probet sacrilegium incurrisse, et adsistat Phinees, qui in scorto Madianitida adstruat veraciter adulterium commisisse. Tuque, vindex scelerum, extrahe veri Salomonis gladium, et inter duas dissidentes meretrices, proprium pro-

priæ matri reddere non differas filium. Et si seminecem deprehenderis, age quod noster Samaritanus egit, qui languentem illum omnino non confregit, sed ut curaret, imposuit in jumentum, et misericordia motus duxit in stabulum. Si præ ira turbatus est oculus animæ tuæ, non poteris interdum juste judicare. De Domino Deo nostro in libro Sapientiæ scriptum est : Tu autem, Domine, Sabaoth cum tranquillitate judicas. Tranquillitas enim mentis oculus est rationis; unde pastoralis virga non potest esse dilecta, ubi sententia præsidentis iracundiæ fuerit stimulis agitata. Audi quid inde beatus Gregorius Leontio exconsuli inter cætera dicit : Quoties animum ira invadit, mentem edoma, vince teipsum, differ tempus furoris. Quum tranquilla mens fuerit, quod placet judica.

Hoc, pater, in me non fecisti, sed pravo quorumdam usus consilio, quorum adversum me sævit invidia, justitiæ prævalere nequivisti censura. Factum est mihi publice præjudicium, quum semper me obtulerim judicium et justitiam in omnibus subiturum. Interdicta est mihi omnis concordia et catholicæ veritatis sententia denegata;

quod tibi certe, reverende pater, non imputo, quia totum ex fomite processit alieno. Crimina mihi falso imposita, præcogitata calumnia, sunt adinventa, quum de hujusmodi accusatione idem Gregorius in hæc verba scribat Joanni episcopo Panormitano : Si quid de quocunque clerico ad aures tuas pervenit quod te juste possit offendere, facile non credas, nec ad vindictam te res accendat incognita. Sed præsentibus senioribus ecclesiæ tuæ diligenter est veritas perscrutanda, et tunc si qualitas rei poposcerit, canonica districtio culpam feriat delinquentis. Si tali tractata res fuisset examine, tanta non sustinuissem opprobria fraterna vexatione. Unde beatus Augustinus in quodam sermone de verbis Apostoli inter cætera ait : Cætera pericula quiescere possunt, pericula a falsis fratribus quiescere usque in finem sæculi non noverunt. Credidit tibi Christus et custodiendam commisit animam meam ; sed quod salva tua reverentia dictum sit, luporum morsibus exposuisti eam. Valde ergo, pater, timendum est ne dicat tibi Dominus per prophetam : Sanguinem ejus de manu tua requiram. Cave ergo ne tua perditum iri videatur incuria, quæ paterna

sustentari debuit disciplina. Præcepit Dominus in lege ut ubi post mortem summi Pontificis rediret ad patriam, si quis captivitatis expertus fuisset ærumnam. In morte sacerdotis nostri Domini et Redemptoris Jesu Christi, et quæ in cœlis, et quæ in terris omnia sunt restaurata, et sanctorum collegia, quæ in inferno tenebantur captiva, se ab eo gratulantur potenti virtute liberata. Inde sacrati temporis celebramus mysterium, quo libertas omnium debet restitui captivorum. Restitui proinde deberem, et ego inter eos qui ab Ægyptiaca servitute liberantur et in eorum sorte numerari, qui inter cives Hierusalem de Babylone educti numerantur. Sed videtur mihi illud de me ratum extitisse, quod de cœco scriptum est in evangelio : quia Christum veraciter voluit confiteri, jussus est extra synagogam fieri. Et quoniam salvum ecclesiæ volui esse senatum, et jura in omnibus ecclesiastica prævalere, damnatus sum tanquam flagitiosus crimine pessimo, et nota nefariæ traditionis infamis per te factus sum mundo. Verum illa proditio nullo alio probari prævalet argumento, nisi quod sacrarum ruinas ædium, medias domesticorum

domos conquassatas, scissuras reparandas, retractas seniorum dapes, diminutas thesaurorum dapes, muros et mænia confractos et diruta, et fratrum necessaria absque discretione per manus alienas sine te male consumpta tacere non potui, quæ omnia tuo imperio inquirentibus revelavi; cujus rei te ipsum facis indicem manifestum, dum quod ego solo sermone simpliciter retuli, in operum videtur reparatione singulorum. Gratias Deo et tibi, jam reparasti et adhuc reparas, restauras et innovas veteres et novas scissuras et portas murorum, utinam et morum. Sed quia longum est universa repetere, conscientiæ precor tuæ omnes angulos diligenter perscrutare, et si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, desine innocentem affligere, desistens ecclesiam membris Dei propriis spoliare. Omnes mortales sumus et mortis legibus subjacemus; nescimus diem neque horam, prope est tempus ut Judex veniat, et unicuique secundum merita sua rependat. Illic rationem rediturus es pro me, et quod a grege non aberravi, sed violenter cessi, deputabitur incuriæ tuæ. Esto igitur memor quanta pietate summus pastor infir-

mam ovem humeris suis imposuit, et ad pascua in æternum virentia, ut eam sanaret reportavit. Hoc bonus pastor, boni pastoris factum universis pastoribus reliquit in exemplum. Vide proinde quid erga me, quia et palam et in occulta fidem semper integram tibi servabo. Nusquam et nunquam post exorta scandala lapsus sum in verbo unde me recolam tuam offendisse clementiam, aut majestatem semel imminuisse paternam. Omnipotens Deus det tibi spiritum consilii et fortitudinis, ut ea intelligas quæ tibi sunt sequenda. et opere fideliter impleas quæ ad salutem plurimorum tibi sunt facienda. Præsto adhuc sum cum obedientia et humilitate te venerari ut patrem, te supportare ut matrem, et puram tibi exhibere amicitiam, et sine depressione personæ meæ, tuæ paternitatis apprehendere disciplinam. Nam, ut beatus Ambrosius ait : Pietatis custos amicitia est et æquitatis magistra, ut superior inferiori se exhibeat æqualem, inferior superiori humilem. Inter dispares enim mores non potest esse amicitia, et ideo convenire debet sibi utrius gratia nec auctoritas desit inferiori, si res poposcerit, nec humilitas superiori. Audiat quasi æqua-

lem, quasi patrem; et ille quasi amicus moneat, objurget, nec jactantia studio, sed charitatis affectu. Neque monitio aspera sit, nec objurgatio contumeliosa. Hæc beatus Ambrosius. Cæterum, me poteris habere tanquam alterum te, in adversis et prosperis strenuum adjutorem et amicum fidelem; et, ut Ambrosius ait : Solatium vitæ hujus est ut habeas cui pectus aperias tuum, cum quo arcana participes, cui committas secretum, ut colloces tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur. Hanc epistolam volo audiant tam inimici quam amici, ut corrosores denotent, si possunt, maledicta, aut testes veritatis approbent, si prævalent rationabiliter oblata.

EPISTOLA XIII. — AD ANSELMUM.

Domino suo patri, rectori, protectori, asylo, consilii sui Angelo Dei gratia, Anselmo, frater Osbertus, totus suus quicquid usquam boni est et sine quo nihil est.

Dormitat anima mea præ tædio, dilectissime, quod desideratam non possum faciem tuam vi-

dere. Suspirat proinde mens mea, et caro mea vehementer affligitur, quoniam et diu abest pro quo langueo, et nescis ejus reditum quem desidero. Redeat, inquam, redeat, nec moras innectat, et orientales Anglos splendoribus suis tanquam sol novus irradiet, filiosque suos in desolatione et tristitia derelictos visitaturus acceleret. Plateæ consternentur tapetibus Ægypti, et via per quam transies frondibus olivarum; holosericis Tyri vestibus indueris et circumdabis purpuras Sidonis. Auro et argento domus tuæ resplendebunt, tibique lapides pretiosi deferentur. Non negabuntur manibus tuis deliciæ Ascalonis, quæ in corde maris sita, diversas per regna gazas transmittit. Ebur antiquum et metalla singula sua tibi Britannia ministrabit. Non habet illa materialis Babylon varium quicquam aut delectabile quod non appareat oculis tuis. Salomon ille tuus, quem diligis, cui obsequeris, tibi regnum suum delegavit, et tanquam alter Melchisedech sacerdotis et regis corona præfulges. Nihil est pulchrum visu, aut oculis delectabile, quod in terra requirere deceat aliena. Redi ergo ad patriam. Te omnes suspiramus, te expectamus,

ut tibi valeamus occurrere, et consona voce personare : Gloria tibi et salus diuturna, virtus et vita perpetua, qui venisti ad redemptionem populi tui, in absentia tanto tempore desolati.

EPISTOLA XIV. — AD ELMARUM PRIOREM CANTUARIENSEM.

Reverentiæ singularis speciali cultu, vere dilecto et sincera charitate diligendo Domino et patri Elmaro, Dei gratia sanctæ Cantuariensis ecclesiæ, venerabili priori, frater Osbertus de Clara, eadem gratia qualiscunque prior Westmonasterii designatus ecclesiæ, subjectionem et obedientiam et integram per omnia amicitiam.

Quot quantisque, pater dulcissime, modis vobis debitor sim effectus, nec lingua, ut decet, explicare, nec apicibus sufficio comprehendere litterarum; tum quia meos inter vos amoris præcipui sublimitatis officio, tum quod me ultra meritum meum immensis semper honoribus ampliastis. Gratias proinde vobis et gratias uberes ago, quod tot et tanta bonitatis vestræ experto sentiens beneficia, utriusque vitæ consolationibus orationum

vestrarum suffragiis spero præmuniri. Quum enim ego Tyriis et Sidoniis vicinitate sim proximus, ubi venatores solent inutiles spirituales frequenter angustias Israelitis ingerere, vos cives in Hierusalem cum Josue triumphali certamine contra alienigenas dimicantes, ad terram lacte fluentem et melle redundantem palmas victoriæ quotidianis exercitiis delegatis. Idcirco, humiliter postulo et suppliciter obsecro, ut dum muros Jericho cum tubis sacerdotalibus septem diebus ad terram prosternitis, me in domo Raab delitescentem spirituali gladio ab hostium incursione muniatis, et sacris exhortationibus vestris tanquam novo vomere inculta meæ mentis terra proscindatur, unde ad utilitatem subditorum fructus justitiæ multipliciter oriatur; et sicut hic in sexta per laborem desudamus et septimam expectamus ad requiem, in octava autem et corporis et animæ gloriosam præstolamur resurrectionem, sic ex hac materia de fonte scientiæ vestra nova imbui flagitamus disciplina, unde mentis nostræ supernæ dulcedinis haurire prævaleant condimenta. Rudis enim miles et dux incompositus nescit sine duce ductor existere, nec sine doctore militiæ

præliantibus documenta præstare. Vos pleno gutture gaudia jam suprema ructatis, quorum a longe positi vix spiramus odorem. Igitur aquam de cisternis vestris illam nobis propinate, quæ Spiritu Sancto irrigante ariditatem nostram infundat, et eadem nobis influat ubertate, ut omnem mentibus audientium secularium deliciarum amaritudinem abstergat. Hujus tam necessariæ petitionis portitorem precamur fieri fratrem nostrum Dominum Azonem, qui nos de adventu suo dulcedine fraterna lætificet, et quamdiu vobis visum fuerit, suam apud nos infirmitatem deportet. Si inde cum domino archiepiscopo loqui oportet, legationem hanc agite pro nobis, quia vos estis epistola fidei atramento conscripta et charactere veræ dilectionis in corde nostro subtiliter signata.

EPISTOLA XV. — AD WILLELMUM.

Carissimo amico suo tanquam animæ suæ, singulari et dimidio Domino et amico Willermo, frater Osbertus de Clara, sic terram spinas et tribulos germinantem odiendo despicere, ut in terra viventium felicitatem mereatur æternam jure hæreditario possidere.

Ad cœnam nuptiarum agni cœlesti gratia invitato, viam, dilectissime, per quam ad eandem pertingas, tibi opponit idem unigenitus filius Dei; etc. . . . .
Audi gentilem, ausculta poetam. Quid, inquis, ait :

Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

. . . .

. . . . . . Huic bonus ille instructor morum Seneca, Dominicæ sententiæ tanquam concordans : Nulli, inquit, potest secura vita contingere, qui de producenda nimis cogitat, qui inter magna bona multos consules numerat. Hoc quotidie meditare, ut possis æquo animo vitam relinquere; cujus casus et infortunii Publius ille

Ovidius Naso, vates gentilis, homo fidei alienus, terribilem in hæc verba protulit sententiam :

> Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
> Et subito casu quæ valuere ruunt.

EPISTOLA XVI.—Ad Athelwoldum.

Dilectissimo Domino et patri Athelwoldo, Dei gratia sanctæ Karleonensis ecclesiæ venerabili episcopo, frater Osbertus de Clara, peccatis suis exigentibus in Anglorum regno proscriptus, ita annulo fidei et virga directionis præmuniri, ut utriusque prævaleat claris operibus insigniri.

Quum te Dei providentia, pater egregie, jam super candelabrum ecclesiæ tanquam novam lucernam accenderit, etc. . . . .

Esto servulo tuo quod Dominum, et pauperi consanguineo quod decet amicum. Nam, ut Tullius ait : In amicitia vera nihil est fictum, nihil simulatum, et quicquid est in amicitia, verum est et voluntarium. Quapropter a natura mihi videtur potius quam ab indigentia orta amicitia. Na-

turalis igitur generis cujusque affectus quod sibi proprium est, aut amat aut odit. Unde quidam ait :

> Quod natura negat, non tantum bellua lædit ;

et ut Flaccus ait :

> Naturam expellas furca, tamen usque recurret.

Te ipsum utique si velles cohibere, non posses, quin in adjutorium meum etiam non rogatus assurgeres. Hoc agit natura germanæ originis, cui comes individua vera semper esse debet amicitia. De liberalitate enim animi et sanguine generoso nusquam inhonestum procreatur exemplum. Agat ergo paternitas tua quod et genus hortantur et mores, et sicut charactere meo et litteris amicorum suggeritur, causam nostram quæ multorum est adeo in tranquilla statione, compone, ut et æmuli et corrosores nostram intuentes victoriam contabescant, et amici nostri de novi pontificis strenuitate lætentur et gaudeant. Valeat serenitas tua per multa annorum pericula, et per te sacrificium Deo, pro ecclesia sua offeratur acceptum; quod in morte Abel et sacerdotio Melchisedech diu ante legem est præfiguratum.

EPISTOLA XVII. — AD ROBERTUM DE SIGILLUM.

Reverendissimo Domino et amico suo Roberto de Sigillo frater Osbertus, Dei gratia claustralium Westmonasterii prior ordine, sed vita et religione longe posterior, sic in signaculo imaginis Dei spiritualiter imprimi, ut ad similitudinem conditoris sui mereatur feliciter reformari.

Quum te, dilectissime, in fornace Babylonis ignis excoquat, nec exurat, cogita tamen assidue civem te esse Jerusalem. . . . .
Seneca docente didicimus beatum eum non esse quem vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit, sed illum cui bonum omne in animo est.

. . . .

Vale et dilige me diligentem te, fixumque tene mortem æqualibus studiis differri a regum palatio ut pauperum tugurio.

EPISTOLA XVIII. — AD STEPHANUM PRIOREM.

Suavissimo Domino et serenissimo patri Stephano, Dei gratia venerabili priori, frater Osbertus de Clara, in terra aliena peregrinus et hospes, sic matutinum Deo offerre sacrificium, ut vespertinum fieri mereatur holocaustum.

Quoniam dulcedo pietatis tuæ circumcirca, pater reverendissime, in tribulatione positis misericorditer est declarata, tantaque sanctitatis formam laudat et veneratur omnis terra, ad tam insigne dignum duxi in anxia necessitate convolare subsidium, ubi bonæ spei fructus, nulli usque hodie defuit argumentum. Præterea familiaritas et conversatio illa mutua quæ me olim tibi brachiis dilectionis astrinxit, ad provocandum in auxilium meum mansuetudinem tuam, audacem inde hoc negotio nimis effecit. In ore enim tuta dilectissimi senioris et dulcissimi patris nemine teste pressuras meas effundo, illiusque in angustiis meis quantum libet placuerit indigeo relevari beneficio. Inveterata cordis amaritudine vehementer afflictus, cogor poculum miseriarum mearum solus

ebibere. Unde fratribus nostris dedit Deus per me, bonis prius sublatis, libere communicare hac de causa quemdam Hebræum, dirum creditorem, et crudelem ultra modum patior exactorem. Nunc itaque, quia secunda mihi tabula post hoc naufragium sunt beneficia et consolationes amicorum, precor sicut audeo, et quanta devotione possum imploro, ut in tanta afflictione mihi tua gratiam subministret dextera, et quæ bonum opus solet avertere, procul ab hac dignatione arceatur sinistra. Memento, pater, quid beatus Gregorius egerit, quando in specie naufragi Angelus ab eo beneficia postulavit, et memoriter retines, nec memoriæ excessit, quod Eleemosyna in specie virginali cuidam apparens ait : Ego sum prima filiarum regis. His plura addere supersedeo, quia a Domino et amico parva et non magna munera requiro. Gratias autem Deo quod plures amicos habeo, qui me pluraliter in hoc sustentabunt negotio et suo juvabunt beneficio; humana autem verecundia vetuit quod tibi per os meum causa nequaquam ista innotuit. Fac ergo secundum velle et posse tuum, fac, pater dulcissime, per nuntium tuum filio tuo quod Joseph fecit, per mi-

nistrum suum Benjamin fratri suo. Si aliquid dederis, tibi plura debeo; si nihil impenderis, me ipsum nihilominus tuæ servituti subjicio. Dei omnipotentis ineffabilis bonitas concedat mihi pacatum invenire animum tuum, ut nuntio meo cum gaudio redeunte, lætus suscipiam beneficium tuum, et temporali quod mihi facturus es beneficio æternaliter beatifeceris in cœlo. Si litteræ nostræ effectu caruerint, iterum ad nos redeant; si postulata obtinuerint, apud vos mansionem accipiant. Vale, pater, in Domino.

EPISTOLA XIX. — . . . . .

Cogunt me quidam qui de finibus illis, in quibus conversaris, adveniunt, ut tibi aliquid vel breviter scribam quod fieri durum mihi videtur et importabile; nam in pace mea consistens, dolores doloribus superadderem, si inimicorum meorum et hostium mentionem et memoriam litteris excitarem. Et quid tibi scribam prorsus ignoro; quod tamen occurrit memoriæ coactus scribo. Quippe, quum te scirem de genĕre meo traxisse carnis originem, et sanguinis propinquitate vici-

num, amicum in tribulationibus existimarem, spes me falsa fefellit. Hostem enim infestissimum reperi et super cervicem meam vibrantem gladium animadverti. Gladius ille passionis et doloris, ut personam meam terraque marique infamem efficeret, et a me omnem honorem abscinderet et decorem, coram rege et principibus ejus pilos exteriores secuit; sed misericordia protectricis gratiæ Dei pellem non tetigit et de carne mea undam cruoris non extraxit. Quod Nisus Euryalo, quod Polynices Tydeo, quod Pirithous Theseo, hoc cognatus erat cognato, prior ecclesiæ presbytero, Osbertus Henrico. Quodque David Jonathæ fuisse legimus, hoc ego per omnia me exhibebam tibi. Frequenter ærumnas tuas atque molestias, meas faciebam; sudores laborum et inquietudines affligentium et oppressiones inimicorum tecum, tanquam sine te, ut amicus deflebam; quibuscunque modis poteram, honori tuo inter domesticos et circumforaneos solatium impendebam. Tu vero reddidisti vicem meritis, expulsionem, proscriptionem, exilium. A sacris ædibus perlongatus, in sacras ædes perveni. Pro expulsione mille amplexus et receptiones et sola-

tio amicorum reperi. Exilium in patriam versum est. Sicut Achitofel, quum surrexit adversum David, sic cum complicibus tuis sine causa contra me insurrexisti. Sicut Doech Idomeus in Abimelech sacerdotem Domini manum extendit sacrilegam, ita pro ancipiti gladio non incruentam sustinui linguam tuam. Si crimen objicis sacri loci defensio, et fratrum fidelitas et tuitio, est ecclesiæ jura salva esse voluisse opprobrium meum, et incommodum est honorem civibus detulisse, domesticis fidei in necessitatibus occurrisse, fratres Christi et proximos benigne excepisse hospitio et panibus, propositionibus pavisse in quotidiana refectione populum Domini, improperium meum et contumelia est. Nec mirum si per sequipedas Judæ proditoris, mea facta sit proditio, quum et ipse suum prodiderit magistrum cujus me profiteor esse discipulum. In passione Domini mea incepta est passio, et cum ejusdem traditione sub sacrati temporis hora eisdem diebus mea est facta traditio, et juste. Illius enim vestigiis inhærere cupio et passionibus quotidie communicare, cujus communico carni et sanguini. Hæccine est gratia, hæccine amicitia, quam amicus

amico debet impendere? Verum est quod quidam sapiens ait : Non omnis qui amat amicus est, sed omnis amicus amat. Dicebas te amicum, sed animum fingebas subdolum. Non amabas substantiam corporis mei, sed si quid extorquere posses peculii. Legimus quemdam, quum interrogaretur quid esset amicus, respondisse : Alter ego. . . . . ut Seneca scripsit : Quidam ea quæ amicis committenda sunt, obviis narrant, et in quaslibet aures quicquid illos urit exonerant . . . .

Utrumque enim vitium est et omni credere et nulli : hæc Seneca . . . .

Lyricus ille, qui pro amico precabatur, cujus anima illius animæ conglutinabatur, quo affectu, quanto ejus salutem optabat desiderio!

Serves (inquit) animæ dimidium meæ.

. . . . Bene quidam sapiens dicit : Non agnoscitur in bonis amicus, et non absconditur in malis inimicus . . . . Boethius ait : Bonis omnibus pulsus, existimatione fœdatus, ob beneficium suppli-

cium tuli. Sed breve putabo malum quod fine meliori terminabitur, et

Flebile principium felix fortuna sequetur.

. . . .

Ille qui omnium sapientium mentibus præsidet, Deus, scit me nunquam magistratum nisi ob communem populi Dei utilitatem voluisse; et quum graves ingruere cœpissent immitesque discordiæ, pro personis et odiis, pro loco et tempore, cum constantia animi ad loca alia sitienter emigrasse. Nec dubites me habere illud in me, quod a quodam didici sapiente: Nullum (inquit) bonum adjuvat habentem, nisi ad cujus amissionem præparatus est animus. Nullius autem rei felicior amissio est, quam quæ desiderari amissa non potest. Sic amisi profecto quod habui, ut me dolor inde non cruciet, nec rursus habendi studium aut voluntas invitet. In honore enim et gloria et gaudio maximo atque tripudio vita mea tota subsistit, et non ut plerique inter mortis metum et vitæ tormentum miseri fluctuant; volunt vivere et mori nesciunt. Ego mihi jucundam vitam facio, omnem pro illa sollicitudinem deponendo; non quod præsto non sim pro Christo et in

Christo mori, cui semper decrevi honesta vita vivere. Platonis sententia est, omnem sapientium vitam meditationem esse mortis. Noli ergo sic de producenda vita cogitare, ut beatam vitam amittas. Scito autem quod non minori mors incrassatos et pingues invadit audacia quam macilentos et tenues. Tantumdem metit filios regum ut pauperum; non plus parcit purpuræ et bysso, quam sacco aut cilicio. . . . . .
Quid docet Seneca? Concordet, inquit, sermo cum vita, etc. . . . .

EPISTOLA XX.—AD. . . . .

Lege litteras istas, carissime frater, fraterno ex corde profusas, etc. . . . .

Seneca : Qui ubique est, nusquam est; et Flaccus ille tuus :

Nitimur in vetitum semper cupimusque negata.

. . . . . . Multa tibi in hunc modum possent argumenta suppetere, sed metam prolixitas excedit epistolæ. Quid enim ago? Minervam doceo; in silvam ligna fero, et in mare aquas fundo. . . . . Hæc tibi tantisper idcirco

scribere curavi, quia per nuntium tuum mandaveras te ulterius, ut sperabas, in hoc sæculo non visurum faciem meam, nisi ante transitum meum contingeret ut videres eam.

EPISTOLA XXI. — Ad Warinum decanum Wigorniensem de conceptione Beatæ Virginis.

Rogasti me, pater Warine, venerabilis decane Wigorniensis ecclesiæ, ut aliquid scribendo tibi de conceptione beatissimæ ac perpetuæ Virginis Mariæ deberem innuere, quod, etc. . . . .
Non potui igitur tuæ reluctari, pater, postulationi, sed tuum exsecutus sum, ut decet, imperium, et sermonem tibi transmitto qualicunque vulgari lima minus decenter articifiali decore politum. Hocque fidentioribus animis opus arripio, quia referre consueveras quod de beata prius Anna scripseram multis in legendo placuisse fidelibus, et quod per nonnullas jam solenni veneratione diffusus esset ecclesias ille tractatus. . . . . . .

EPISTOLA XXII. — AD JOCUNDUM PRIOREM.

Jocundo, priori in comparativo et qui primus in superlativo incedit, ille qui in positivo graditur et fuit et non est.

Arridet tibi littera nostra, et ut ei clementer arrideas, inclamat — inclamat et ingeminat, ut rememoreris quibus quosdam fortuna sublimat insignibus, et quantis eosdem iterum lacessit injuriis. . . . . . . Hodie sors alicujus lamentanda apparuit, cujus heri cuncta vidimus gratiosa. Hodierna lux multos circumdat indigentes, quorum crastina propulsabit inopiam. Scripti reminiscere :

Nam tua res agitur, paries quum proximus ardet.

. . . . . In patria nostra, quam pro exilio mutavimus, aliquam a vobis speravimus consolationem; et qui ad pedes philosophiæ fueras enutritus, in illius laboribus obversatum, ejusdemque lacte potatum, piis debuisses auxiliis relevasse et juvisse suffragiis : hoc, inquam, vere speravimus . . . .

EPISTOLA XXIII. — AD. . . . .

In veteri amico nova stipendia quærere, et in senioribus antiquis investigare sapientiam, detrita est omnium materia sæculorum . . . . . Legimus namque in Seneca : Benignus causam dandi excogitat. . . . .

EPISTOLA XXIV. — AD. . . . .

Te, dilecte, salutat epistola, dilecti et dilectoris charactere designata . . . . . . ubi in sinu paupertatis Christi multi sequaces tua iterato informantur prudentia et sanctitate atque religione transmittuntur ad supera; in quibus et me ipsum annumerare desiderarem, si incolatus exilii et proscriptio nostra cessaret. . . . . Cæterum, dilectissime, gratias et gratias infinitas tuæ paternæ debemus excellentiæ, quod ad locum incolatus nostri venire dignatus, parvitatem nostram voluisti invisere. Sed quia pro Judæis quibusdam exactoribus, vetera a me quædam debita exigentibus aberam, quæ in necessitatibus et negotiis ecclesiæ prius expenderam, ab hospita tellure frustratus tuo reversus es desiderio. Si aliquid in hac causa deliqui, tuæ est pietatis igno-

scere. Libros præterea tibi optime conservatos remittimus, quos gratuita præstitos gratia ex tua nobilitate delegatos accepimus. Rogamus itaque nullum tantæ paternitati generetur fastidium, quod pro tanti temporis retenti sunt intervallum. Liberatrix et salvatrix gratia Dei lucernam doctrinæ tuæ, ita ut in sublime super candelabrum accendat excellentiæ, ut videam oculis meis, antequam moriar, te in summo constitutum sacerdotis, sicut populum Christi sanguine redemptum verbo informare sapis et exemplo. Vale, dilecte, vale, et in æternum vale.

EPISTOLA XXV. — AD. . . . .

Quod ultra terminum quem statuimus, sine certa veritate evagati sumus, non egit incuria, sed infirmitas. Nam ad privatam domus nostræ rediens mansionem, tam subita ægritudine sum depressus, ut nec tuam faciem videre ulterius nec salutem aliquando redituram sperarem. Convalescens igitur nunc et sospitate donatus, ad te tanquam ad unicum animæ meæ reclinatorium dirigo, pristinam redintegrare cupiens amicitiam; et quem, ut deceret, obsequio non præveni, mu-

neribus et promissis, eleganter convenio. Accipe itaque, dilectissime, quod tuum est, cum multiplici gratiarum actione; quippe, quia me et immensis honoratum, imo oneratum, ad propria remisisti donariis, et apud te detentum utriusque vitæ deliciis uberius satiasti . . . . . .

EPISTOLA XXVI. — Ad. . . . .

Copiosas tuæ, pater, excellentiæ grates referimus, quod ærumnas nostras pariter et sedasti et consolidasti defectus. In exilio enim quo versamur, nebulam calamitatis et fortunæ claritatis tuæ radiis illustrasti. . . . .
Ego igitur a senatus mei concilio, tanquam a natalis soli dulcedine, in paludis antiquæ barbara cohabitatione, unam mihi consolationem et solam matrem philosophiam adhibui. . . . . .
Inestimabile enim bonum est, ut ait Seneca, suum fieri. Et quia tali deditus otio, curis pene liberum et exoneratum pectus gerere consueveram, beatus eram. Sententia est prædicti viri : Otium sine litteris mors est et vivi hominis sepultura. Nunc itaque quibus privatis occupatus negotiis, intimæ quietis amissione destituor, et novam de-

flere sum coactus injuriam Maxima enim ea injuria est, de libertate in servitutem, de copia ad inopiam transitum facere. . . . . . Nihil cupio propter me, sed propter eos tantum qui in peregrinatione mea secuti sunt me. . . . .
Scriptor in dies inquirit mercedem, et quum sine stipendiis militare non valeant, debita extorquere stipendia non cessant. Hæc sunt quæ me gravant, quia quum debitoribus jura persolvere deberem, nihil præter solvendi reperio voluntatem. Institoriis utique non sum mercibus deditus, quibus pecunia copiosa acquiritur, nec sæcularibus adeo quæstibus mea implicatur intentio, ut talenta in minutias contendam expendere Sola amicorum subsidia, etc. . . . .
Calendis Septembribus profecturi sumus ad concilium, verum expensas requirit et labor itineris et communis participatio conviventium, ibi cum illo, per gratiam Dei, decernentes miscere sermonem cujus tibi germanus sanguis et mihi amicitiæ concinnat vetustatem. Nihil enim quæro, sed apud amicum querimoniam facio. Videat ergo Dominus, amicus consideret, potens intueatur, copiosus perpendat. quid servo. quid dilectori,

quid imbecilli, quid inopi conveniat et valeat. Cujusdam enim sapientis dictum legimus : Sæpe quod datur exiguum est, quod sequitur ex eo magnum.

EPISTOLA XXVII. — AD. . . . .

Salus in exordio amico præmittitur, nullius characteris nota signata. . . . .
Unde Virgilius :

Facilis descensus Averni,
Noctes atque dies patet atri janua Ditis :
Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,
Hic labor, hoc opus est.

. . . .

Videas tu, bone frater, videant cæteri fratres mei, si cum filiis Jacob elevati estis super hunc falcatum currum supplantationis adversum me; si sine causa vestras laxastis habenas et superbiæ et invidiæ; et cum non meis meritis sed electione vestra, communi mihi cura vestrarum regulariter attributa sit animarum, sine regula, sine ordine, sine justitia, proscriptum, venditum, exclusum, et a patria et a senatu fraterno et monasterio elongatum, destinare in Ægyptum esti-

matis ad jugum. Sed, nobis gratia, Ægyptii persolvunt tributum . . . .

. . . .

EPISTOLA XXVIII. — Ad. . . . .

Obsequium Parthorum regibus debitum novo tibi hodie consecramus obsequio. . . Nova festivitas, novas tibi delicias Christo resurgente cumulavit. . . . . Avunculus tuus egregius Domini sacerdos Anselmus. . . . . .
Ne differas solenniter absque fastidio legere quod de tam solenni viro noviter contigit nos audiisse. Rogerus, ex Sumeriaco Normanniæ oppido generosis natalibus oriundus, vir inter Anglorum proceres maximæ erat auctoritatis et famæ, utpote vir longævus et tota sæculi honestate præditus et rerum sæcularium copiis copiose suffultus. Hic, quum nimium provectæ fuisset ætatis in confessione veræ fidei, viam universæ carnis ingressus est et plenus dierum in senectute bona ad patres suos appositus. Conjux vero illius et filii, domini et patris sui intendentes, ex eo valde funebrem planctum devoto per omnia comitantur officio. Ad monasterium ergo juxta Savinnæ fluvium, in

provincia Glocestriæ, situm defuncti corpus delatum est et sub patrocinio beatissimæ Mariæ semper virginis solenniter et honorifice traditum sepulturæ. Dies abbati fratribusque statuitur, ut tertia pars totius peculii pro defuncti remedio dividatur. Observent sollicite tempus ut veniant, materque et filii quo vocantur occurrant. Adfuerunt, qui pro hujus rei negotio deputati sunt fratres idonei, Dominus Rogerius, prior Theotresberiensis ecclesiæ, et Antonius. Quumque omnia quæ dividenda erant deducerentur ad medium, totam etiam supellectilem suam ad publicum protulit, et tam vasa pretiosa quam cætera æque ornamenta divisit. Nihil sibi voluit omnino relinquere, quod sine parte defuncti deliberaret possidere, quum scyphus ecce residuus unus supererat, quem prædicti pontificis extitisse eadem mulier affirmabat. Eademque virago diligebat pateram ultra supellectilem quam possederat universam. Sic illius in sancto viro fervebat devotio, sic amor ardere sentiebatur intrinsecus, ut cordis jucunditatem vultus profiteretur exterior. Nescio utrum sibi dono datum vas idem a sancto pontifice fuerit, aut a quoquam mutuum illud pro

munere receperit beneficium. Undecunque sibi tantum advenerit, tanquam pretiosius auro possidebat prætium, et argento clarius, ipsius in pectore rutilabat absconditum. Removere nituntur pateram fratres qui aderant. vel quia fœminam probitatis pro devotione sancti viri hanc sciebant diligere, vel quia minus pretium quantum ad substantiam sæcularem pertinet videbatur continere. Noluit honesta mulier retinere proprium quod cum sponso proposuerat inter cætera dividendum. Aperto etiam iis propalavit alloquio quod sors defuncti viri si super pateram caderet, centum vel eo amplius solidis hanc si juberent redimere non tardaret. Tanti amoris in corde fœminæ sanctus sacerdos Domini Anselmus obtinebat dulcedinem, ut in eodem vase probaret efficaciter diligentis firmitatem. Tres e familiaribus fiunt partes supellectilibus, et calix in iis celebrior cæteris numeratur. Erat quidam inter eos qui adstabant ex monachorum societate laicus, Hugo de Digniaco nomine, qui et mihi ex longinquo tempore cognitus et in omni probitate et fideli servitio a multis fideliter est expertus. Hic beatæ memoriæ Radulfo, Cantuariensis ecclesiæ archiepiscopo,

familiariter aliquandiu ministravit, et post ejus obitum Sæfrido nepoti suo diutius adhæsit. Iste. quum tantam fervere devotionem sentiret in fœmina, voce palam omnibus clamavit excelsa : Hodie, inquit, mulier, probitatis tuæ in sancto viro apparebit devotio; hodie illius in te munificentia copiosis beneficiis redundabit. Fidem tuam, quæ erga illum hactenus tantopere efferbuit tanti amoris, hodie privilegio non privabit; hodie experimento cognosces verbum Domini, quia omnia possibilia sunt credenti. Crede hodie quod optas adveniet et voti tui nulla dilatio intercedet. Sortibus distractis, accitur extraneus, præsentis negotii tunc ignarus. Mittit in incerto manum et retrahit et suam unicuique sortem apponit, quum mulier honesta sursum respiceret, et Dei misericordiam corde potius quam labiis inclamaret. Scyphus sancti pontificis ejus parti ascribitur, cujus tanta devotio fervere videbatur. Conclamant omnes Domino laudem et gloriam, et sancti viri cum lacrimis laudant prærogativam; lacrimæ etiam, ex quorundam oculis prorumpentes, testantur obortam in illorum cordibus ex devotione lætitiam. Domina vero Christina, cui hoc in mu-

nere pro fide ferventi miseratio divina contulerat, gratias agens Deo sanctoque viro Domini laudes Anselmo, thesaurum specialiter sibi dilectum utraque manu reportat; imprimit oscula vasi quod diligit, et tanquam pretiosas viri Dei reliquias diligenter recondit. . . . .

EPISTOLA XXIX. — Ad Ceciliam.

Osbertus de Clara, servus ecclesiæ Dei insignitus charactere Jesu Christi, Ceciliæ nepti suæ dilectissimæ, inter filias Hierusalem ad beatæ visionis Dei pertingere contemplationem.

Memento, filia Sion, quod sponsus ille cœlestis, etc. . . . . Ora igitur auctorem vitæ Christum, ut castimoniæ tuæ custodem deputet beatum martyrem Laurentium, etc. . . . . Accidit in quadam ejus ecclesia Romæ res mira et nostris temporibus de aliis sanctis inaudita, quam diligenti sollicitudine mentis tuæ studiis oportet ut imprimas, et hanc communicare virginitatis tuæ concivibus non omittas. Æдituus namque nimis tardaverat, aliqua nocte, ad sacras vigilias fratres excitare, suoque vigilans jacebat in cubi-

culo, nescio quid operiens illo temporis intervallo, quum repente conspicit totam fulgore corusco radiare basilicam et per orientalem ædis almæ fenestram, e regione mensæ Dominicæ, præclaram Regis introire personam, quem candidatus Ephe-borum comitabatur exercitus, eratque infinita gloriosæ illius multitudinis copia, purpura et jas-pide, byssoque ac sindone ab omni parte auro circumtecta. Heros vero insignis septigera præ-minebat dignitate præ cæteris, quem gloria inef-fabili coronabat diademate et elegantia decorabat immarcescibili juventute. Quem quum ingre-dientem secretarius ille contemplaretur stupefac-tus, tantæque novitatis gloriam miraretur insolitam, cœlestis hierarcha pavidum prævenit, alloquens-que ambiguum hac ratione convenit : Quid, inquit, tam longa in sacris detentus es mora vigi-liis? Cur tibi in nocturnis non inservit cura major excubiis? Jam, inquit, illa celebris hora præteriit, qua tinnientibus cymbalis a somno de-sidiæ excitandi fratres fuerant a nocturna recrea-tione. Quumque pavefactus et stupidus ad vocem ejus et aspectum hæsitaret æditùus, iterum per-sona spectabilis alloquitur hominem, toto corde

et animo tanti viri sermonibus inhiantem : Ad visionem gloriæ meæ quæ tibi præsens est, noli expavescere, quia non huc veni ut tibi timorem incutiam Hæsitas fortasse quis sit qui tecum loquitur, etc. . . . Ego sum sanctus martyr Dei Laurentius, cujus titulis præsens consecrata est basilica, etc. . . . Surge itaque et excita fratres ad nocturna solennia, etc. . . . . Et hæc dicens, sanctus Dei martyr Laurentius eodem tramite quo venit, mira Dei virtute recessit, quod sublevatus a terra, visus est in aere firmiter incedere et per mensam Dominicam, secus eucharistiam corporis Christi pertransire . . . .

EPISTOLA XXX. — Ad Margaritam.

Osbertus de Clara, factus in peregrinatione gratia Dei novus evangelista Jesu Christi, dilectissimæ nepti suæ Margaritæ, sanctimoniali virgini Deo dicatæ, claritate virtutum et lampade bonorum operum ita splendescere, ut in corona Regis æterni inter rutilosos lapides valeat coruscare.

Labor Romani itineris, qui mentem meam

occupavit curis diversis, pariter et causis manum meam invitat ut debeam a scribendo retrahere, et resarciendis peris comitum meorum et baculis novam studiosius operam dare. Sed pura et nitida devotionis tuæ vigilantiæ hortatur ut vel breviter aliquid tecum colloquendo edisseram, etc.

. . . .

EPISTOLA XXXI. — AD. . . . .

Pretiosis regiæ nativitatis tuæ, vir illustris, resplendentibus radiis, spem nobis infundit tua promissio certæ consolationis. . . . Dilige diligentes te, et, etc. . . . .
Custodi igitur et protege me eo honore, pariter et amore, quo id promereri desidero et quo legitima olim servitute promeruisse non diffido. Si me venerationi habueris, honor tuus erit et gloria, et te magis propter me tota venerabitur Anglorum ecclesia.

EPISTOLA XXXII. — AD CLAREMBALDUM.

Salutem tibi desideriorum meorum diligentis dextera diligit (*sic*), quem te diligere serena facies et jucunda vultus ostendit. . . . . .

Vale, clarissime Clarembalde, imo, mi Clare valde, et Nazaræos qui tecum in Nazareth conversantur nostra de parte salvere jube. . . . . . .

EPISTOLA XXXIII. — AD GAUFRIDUM S. ALBANI PATRIBUS PRÆLATUM.

Reverentiæ titulis et cultibus solenniter honestatis insignito venerabili Domino et patri Gaufrido, Albani patribus meritis et sanctitate prælato, Osbertus de Clara, suæ dilector justitiæ et æmulator fidei et doctrinæ, sic cœlestis sapientiæ canis albescere ut vitæ senectus immaculatæ eum inter lilia Paradisi valeat collocare.

Novæ cultor mansionis et hospes, exercendis jugeribus otium præbeo, qui litteris vacare consuevi, studii cœlestis deditus incremento; et quem formosa Rachel inter brachia sua consuevit astringere, nunc lippientis Liæ fœcunditati in filiorum procreatione cogor laborare, quique cum Maria aliquando consueveram vacare silentio, modo cum Martha satago sollicitus et frequens in ministerio. Erga plurima crescit assidue turbatio mea; et dum filiorum nostrorum in Christo

gemebundus in ordine suspiro penuriam, præ dolore languentis animæ carnem sentio vehementer attenuatam. Sic humiles casas mihi commissas ingressa est mea simplicitas, ut cum omni bonorum copia easdem sperarem temporaliter affluere, totius humanæ substantiæ reique familiaris videantur indigentiam sustinere. Unde et ad majestatem tuam recurrit, quod inferius sequitur, ut de liberalitatis tuæ beneficiis nostra familia gratuletur :

Parva mihi commissa domus caret his elementis ;
Est humana quibus natura fruens elementis.
Frugibus in terram pro consuetudine jactis,
Deficit alma Ceres et pressi copia lactis ;
Nec caro nec piscis apponitur intus edenti,
Sed potus calicis est solo pane bibenti :
Sic destructa fuit rerum possessio quæque,
Harum possessor res ut non spargeret æque.
Ergo decet sapias quod sentit inops et egenus,
Ut nos respicias pietatis munere plenus.
Huc appone manum, pater inclyte, dux animarum,
Sisque per Albanum rerum solidator earum.
Magnificis clarus titulis prior est Ademarus,
Ingenuus natus, virtutum dote beatus,
Rhetor civilis, morum gravitate senilis,
Vitæ forma bonæ, præstans in religione,
Militat ætheriis sublimis in orbe tropæis,
Et dux in castris lucrum gregis inserit astris,

Ingrediturque vias quas est ingressus Helias,
Cui virtute Dei famulatur opus Helisæi.
Huic me commendo, mea sit tutela tuendo.
Martyr Pancratius decus est et gloria cujus
Vincit religio, vincit quia cardo Britannus,
In Christi gladio Jubilæus quum redit annus.
Frons libertatis rebus patet ecclesiarum,
Munere primatus quum jus renovatur earum.
Quam festiva dies nostro resplenduit ævo,
Quum sacra progenies mundatur schismate sævo!

EPISTOLA XXXIV. — Ad patres ecclesiæ Eliensis.

Excellentissimi senatus Eliensis ecclesiæ ingenuis patribus, municipii Clarensis indigena consenator capitolii eorum, Osbertus.

Splendor beatæ et gloriosæ virginis Eldridæ, quæ per diversas partes orbis diversis fulgurat virtutibus et signis, novam vobis spiritualis tripudii repræsentat lætitiam, et gloriam suam magnificat solennibus radiis mundo declaratam. Res est in propatulo, relatu digna pretioso, quam mihi vir auctoritatis et gratiæ dominus Osbertus retulit, prior Daventrensis ecclesiæ, cujus vita egregia virtutis forma, præminet in domo Domini et religiosa conversatio exemplar est fidelibus ad

cœlestia suspirandi; monachus namque Cluniacensis idem est a diebus antiquis, et primo Canonicus in Brommiensis campi fulsit ecclesia, in cujus confinio contigit historiæ sublimitas vestra conventibus memoriter retinenda; diuturnoque præterea tempore eleemosynam dividens in sanctæ Virginis Milbergæ sobria congregatione clericorum, multitudinem ex fragmentis seniorum recreare consuevit, quorum pars quædam religiosa hujus relationis testis existit. Consortes autem eorum facti sunt in itinere, quibus gloriam beatæ Virginis dignatus est Dominus de supernis revelare. In provincia Merciorum lignea antiquitus fabricata est ecclesia, quæ a beato Anna Orientalium Anglorum rege dicitur olim fuisse constructa. Hic carnalis genitor Etheldridæ gloriosæ virginis extitit, prædictamque in transitu basilicam fundavit. Fines enim regni sui quorundam desiderio excesserat amicorum, ut eos dulci cognationis affectu familiarius inviseret, et sui præsentia partes occiduas aliquanto tempore satiaret. In reditu vero construxit hanc ædem, cœlestibus postea miraculis redundantem, quæ in Britonum confinio et Anglorum posita, nomen a

beata virgine obtinuit Aedeldria. Ejus namque adhuc hodie ecclesia dicitur et in eadem ad honorem Dei ipsa a fidelibus invocatur. Quum vero familia cujusdam memorandi militis, Herberti videlicet de Furcis, per hujus loca diverteret campestria, ut de una mansione ad aliam deberet mansionem militis tendere, quædam matrona quæ liberos ejus educare consueverat, orandi gratia voluit introire. Consodalibus autem suis persuadere non potuit ut quisquam ad orationis domum secum vellet procedere, et sanctæ devotionis in ara mentis Domino vitulos immolare. Ipsa tandem, tacta Spiritus Sancti gratia, propriumque complere gestiens desiderium, ingreditur ut totam se mactet holocaustum. Illapsa intra ostium fœmina, repressit cito vestigium; hinc enim terror illam percusserat mirabilis, et inde confortabat visio cœlestis. Considerat namque ante altare virginem orationi incumbere præcellentem, cujus tam venusta erat species et tam decora pulchritudo, quod humano explicari non posset eloquio. Quæ manu altera præferebat psalterium et cereum, altera gestabat accensum. Sic, cum talibus instrumentis inservit virgo orationibus sacris, mulier

ad eam propius accedit, et de nota vocabili diligenter inquirit : Quæ es, inquit, domina gloriosa? qualis es et unde tanto splendore conspicua? Edicito mihi, pro Christo, celebre nomen tuum, quia tam venustum et insignem conspicio vultum tuum. Cui virgo splendida responsum reddidit, eamque affabili dulcedine mulcere non tardavit : Quandoquidem mihi amorem Dei rememorari satagis et per eum nominis mei notitiam inquiris, Edeldria virgo sacra nomen meum dicitur, cujus virginitatis integritas cœlesti sponso copulatur. Quod vero tibi Deus dignatus est ostendere, nemini studeas revelare. His dictis, heros generosa conticuit, et fœmina, quamdiu voluit, oravit. Orabat virgo, excubans ante aram in sacrario; orabat prostrata extra chorum mulier in ecclesiæ pavimento; sed, sive pavimentum sit, sive solum devotæ sibi ministrabat orationis arcanum, quamdiu in ecclesia mulier fuit, cœlestem personam vidit; quando vero exiit, eam interius dereliquit. Rediensque ad consortes qui præstolabantur in itinere, quod erat viæ reliquum. hortatur maturare. Ascensis autem equis et succincte expeditis, audiunt repente ex ecclesia cœ-

lestes resonare concentus in aere, et supernum melos angelicis vocibus solenniter insonare. Quid hoc, inquiunt, est quod audimus? Quæ est tanta dulcedo, quam auribus haurire non consuevimus? Aliqua suavitas supernæ miscetur harmoniæ, quoniam Deus fortasse nostris dignatus est mentibus revelare. Tunc, altrix militaris matrona prolis: O, inquit, miseri et infelices, ô infausti et desides, vos per incuriam vestram atque inertiam cernere noluistis mirabilia Domini, quæ mihi per ejus gratiam contigit in ecclesiola paulo ante speculari. Vidi nempe in illa beatam Etheldridam insignem virginem cœlestibus radiis ineffabilis pulchritudinis, cujus psalterium et ardentem cereum intuitu tantæ gloriæ contemplaris gratulor insignita. Eo autem cœlestium fistulæ reboant organorum, quo densa per eum redundare solet copia miraculorum. Qui tristes et mœsti supra modum effecti, ad ædem redire deliberant prædictam, si forte beatæ virginis faciem speculari liceat gloriosam: ad basilicam vero gressu præpete procurrentes, cœlestis adyti non meruerunt oraculum, nec cœlestium haurire dulcedinem meruerunt Angelorum. Ita sublatum est iis omni

ex parte quod cupierant, nec gloriam Dei intro conspicere, nec hymnis ultra meruerunt Angelicis interesse. Expeditis item jumentis, iter arripiunt, et quum longius aliquantulum progressi essent ab ecclesia, melos cœleste denuo concipiunt in via; eodemque modo quo prius secundo redeunt, et quanto propius ad ecclesiam erat accessio, tanto major superni concentus sentiebatur diminutio. Suo autem frustrati revertuntur desiderio, quum paululum progressi cœlesti tertio refoverentur dulcedine, et mirantur exaudita vocis Angelicæ suavitate; redeuntesque properant ad locum quo melos resonabat in aere supernum, amplioremque tonorum sperantes concordiam, provinciam percipiunt nectarea dulcedine vacuatam. Intelligentes vero Deum suo crudeliter exacerbatum esse peccato, deflent humiliter cordis amaritudinem, quia divinam miseri offenderant pietatem. Et quid amplius; usque ad densam pene noctem consumpserunt diem, euntesque ac redeuntes organorum amittebant harmoniam cœlestium, nec lumen iis infulsit diu desideratum. Pergunt itaque quo eos iter vocat ad hospitium, et mirabilem sacræ virginis Etheldriæ prædicant apud Deum gratiam meritorum.

Venerabilis Osbertus, prior Daventrensis ecclesiæ, quum adhuc eleemosynam divideret pauperibus sanctæ Milburgæ virginis, hoc ex eorum ore veraciter didicit, quibus id Deus audire parum annuit, parumque negavit; quorum testimonio fidem faciebant lacrimæ et longa suspiria de profundo carnis altius revocata. De eorum namque fide vir non diffidebat egregius, quos et in cella paupertatis Christi frequentius ante refecerat, et de relatione veridica non dubitabat.

EPISTOLA XXXV.—Ad Idam.

Osbertus, Dei misericordia in Westmonasterii dictus prior ecclesiæ, Idæ dilectissimæ sibi in Christo filiæ, ad amplexus sponsi cœlestis attingere et reginæ inter filias Sion a dexteris ejus coronatæ regnare.

Cogit me sanctum desiderium tuum, generosa progenies, ut tibi vel breviter aliquid scribam, unde religiosi, etc. . . . . . De ducibus namque et consulibus carnis trahens originem, terrenis prætulisti deliciis regis æterni nobilitatem . . . .

Ora ut ante vultum ejus te videam in gloria, quum ab eo fueris æterno splendore glorificata. Ibi enim non vocaberis Ida, sed viventis Dei filia gloriosa; ibi non diceris neptis reginæ Adelidis, quæ cunctis terrarum reginis longe pretiosior et nobilior apparebis . . . . in sæcula sæculorum!

EPISTOLA XXXVI. — Ad Silvestrum Cantariensem.

Silvestro, collegæ quondam in itinere Romano, nunc autem Domino et patri suo serenissimo, venerabili videlicet Cantuariensis cœnobii prælato, virtutum operibus splendido, Osbertus de Clara, re familiari nequaquam amplis possessionibus locuples, æternæ civitatis Dei charitate superos coæquare cives.

De nominis tui vocabulo, vir illustrissime, pauca quædam prælibare cupio, ut quod bonum est, inde mihi tua gratia vertatur incommodum, et quod ab utilitate dissentit, meis nequaquam usibus vergat in detrimentum. In silva namque nonnunquam ligna reperiuntur fructifera, quæ et

nuces pariunt et mala granata. . . . . .

Præesse me parvulæ domus familiæ coegit obedientia, quæ ante reformatam pacem in transacto præsentis anni tempore, per circumcingentia nos quinque castella est pene destructa. Panem tantum adhuc, Deo gratias, habemus et potum; sed ad cætera quæ restant victualia nullum nobis suppeditat in necessitate subsidium. Idcirco de liberalitatis tuæ virgulto fructum aliquem postulo, qui me a domesticæ necessitudinis expediat detrimento. . . . .

EPISTOLA XXXVII. — Ad seniores Westmonasterienses.

Conversationis egregiæ senioribus in cœnobio Westmonasteriensi cœlorum Domino militantibus, conservus eorum et in Christo confrater Osbertus de Clara, magni consilii Angelum semper in suis habere consiliis ducem et principem, ut ab eo doceantur viam mandatorum Dei cognoscere et tenere veri judicii cum discretione veritatem.

Delatæ sunt ad nos usque ex auctoritate vestra

quædam familiares litteræ, in quarum serie intellexi, quod salutem nostram et honorem cui præsidem ecclesiæ diligitis, dum nos, ne agamus illicita, fraterna charitate castigatis. Magna nobis auctoritate, qua majore non potestis, ne quendam ex ordine Cisternensi suscipiamus, interdicitis, et ne hoc ullatenus fiat, super amorem et obedientiam quæ Deo et vobis debemus, constanter inhibetis. Sed, salva tanti conventus reverentia, plus justo in fratres vestros voluistis excedere, qui non fuerant arguendi, dum opus quod iis objicitur illicitum, nequaquam unius verbi principio studuerunt maturare. Qua de re, vehementer admiramur unde penes vos tam dolosæ fraudis chaos emersit, magisque mirandum, quod nos adeo debuistis insulsos et irrationabiles credere, ut contra sanctæ canonem regulæ infausta præsumptione deberemus aliquid usurpare. In mentem nobis non venit ab ecclesiæ unitate dissidere, nec vobis inconsultis, etiam si maxima inde proveniret utilitas, quicquam novitatis arripere. Contra jus autem et fas nulli religionis tribueremus habitum, quia sine abbatis potestate tale quid agere non est aliquatenus nobis permissum. Sed negare nec audeo pror-

sus, nec volo nec debeo, fratrem quendam honestatis egregiæ, nepotem videlicet Roberti filii Noelis, ad nos aliquoties advenisse, qui nobis multoties in hominum nostrorum et pecudum captione, dum spiritus furoris debacch　aretur, in patria fidelis amicus adstitit, et frequenter, cum etiam sui periculo, quæ fuerant ablata non sine gravi sudore perquisivit. Quum in Hispania vel in Hibernia pro amore consanguineo, si illum inter gentes exteras cernerem, eadem tanquam mihimetipsi pro tempore bona cumularem. Huic itaque nec novum superaddere intendimus habitum, quodque credere non debetis, haud certamus auferre diutius usitatum. De illo nescio nisi quod nobis retulit, quod sine litteris abbatis sui commendatitiis et licentia regulari nihil novum attentabit. De cætero notum est vobis quod, salva sancti patris Benedicti regula, licet cunctis qui aliquibus in ecclesiis Dei dignitatibus præeminent, et religionis viros, sicut prædictum est, gradientes suscipere, et qui sibi consanguinitate juncti sunt, in fratrem misericordia familiarius cæteris extraneis, quantum sibi placuerit, retinere. Nolite itaque, sicut dicit Apostolus, omni spiritui credere, per quod a

via veritatis et justo judicio multi frequenter consueverunt deviare. Valeant domini et seniores mei dilectissimi!

EPISTOLA XXXVIII. — Ad Theobaldum Cantuariensem.

Sanctissimo patri et serenissimo Cantuariensis ecclesiæ pontifici et totius Britanniæ primati, venerabili Domino suo apostolicæ sedis legato Dei gratia Theobaldo, Osbertus de Clara, filiorum suorum ultimus, gloriam quam suis fidelibus pollicetur Deus.

Merito te tantum ac talem veneretur omnis mundus Domini sacerdotem, cujus fortitudine et prudentia ad formam pacis regni desolatio rediit, cujusque temperantia copulata justitiæ tyrannos rapinis pauperum haud inglorios absque sanguinis effusione dispersit. De radiis namque tuæ videtur oriri claritatis, quod suis Seneca dicit in proverbiis : Bona fama in tenebris proprium splendorem habet. In caligine vero naufragantis hujus vitæ sic in te superni luminis fulgor supereminet, ut universas partes mundi jubar sanctissimæ opi–

nionis illustret. Gloria in excelsis Deo qui hanc tibi contulit sua ineffabili charitate. pater orthodoxe, victoriam, ut per te faceret pravorum corruere municipia, qui ex destructione gloriari consueverant aliena. Mutos circumquaque conspicimus pedites incedere, qui de equorum fuerant superbia cursorum et feritate tumescentes; et quos arma decoraverant persæpe victricia, nunc innixi palis sustentantur aut baculis, ostiatimque mendicant a pauperibus etiam villicis stipem diurnæ refectionis. Ampullas et verba non projiciunt sesquipedalia, sed modo cujus respuebant nomen attendere, timore coacti nequaquam videntur ignorare. Arvum antiqua delitescit injuria, dum de pharetris sagittæ non exeunt, quæ strages in populo facere consuerunt. Intelligimus ergo quia, propitiante Deo, hanc te sapientiam ut pax in regno fieret angelus ille edocuit, qui in nocte nativitatis Dominicæ cum multitudine cœlestis militiæ pacem hominibus bonæ voluntatis nuntiavit. Quod Roma dum accendit augmentum tibi apostolicæ legationis attribuit, ut per Eboracensem provinciam et Scotiæ regnum tantæ paternitatis exerceat imperium et insulas adusque penetrat Orchadarum.

Eapropter deceret ut pro tam expedita sancta operis tui hierarchia, arcuum tibi triumphalium erigeretur fabrica, in quibus futuris intimaretur generationibus quam desiderata populo suo bona tuis per te temporibus operatus sit Deus. In descensu vero montis Tarpeii fabricæ triumphalis machinam diligenter inspexi, quam post destructionem urbis Hierosolymæ Tito Vespasiano, ejus victoriam sæculis omnibus propalantes, erexerunt Romani; quod et tibi juste tota deberet Britannia facere et pretiosiore satis excellentia studium vigilanter, si ad hoc sufficeret, adhibere . . .

. . . .

EPISTOLA XXXIX. — AD. . . . . .

Diu est, virgo sacra, summo regi gloriæ cœlibe matrimonio copulata, quod tibi me scripturum aliquod spopondi commonitorium, unde tuus accenderetur animus ad appetenda cœlestium solennia nuptiarum. Inter illustres enim fœminas natalium splendoribus radias, sed fulgoribus virtutum multo serenius jam coruscas. Ex utroque latere, multæ castis moribus tuis suppeditantur

gratiæ, quibus et Agno, virginum sponso, dilecta cognosceris, et cara haud mediocriter supernis civibus approbaris. Homines præterea sancti optant in mundo tuæ sanctitatis familiaritate perfrui, et orationibus sacris ad amorem superni principis ferventius accendi. Profiteor etiam me præ cæteris, ut æstimo, tuæ specialius virginitatis innodatum obsequiis, tuæque singularius vinculis adstrictum solidæ in Christo dilectionis, insignis Domina et specialis in Christo gloria mea, Matildis de Darenta. Illum sibi locum in anima mea excellentius vindicat, quem pulchrior et celebrior radius supernæ claritatis nitidius illustrat. Scio enim quod usu quotidiano ejus apud superos versatur intentio, et licet in corpore cum sanctis apud Mellingas conversetur virginibus, est spiritualis ejus conversatio cum illa sanctissima virgine de qua natus prodiit Homo Deus. . . . . .
Quum autem scriptum est

Numero Deus impare gaudet,

disce castitatis excellentiam septiformi Spiritus Sancti gratia, etc., etc. . . . .
Nec intellexerant ex scripta lege quod Pythagoras protulerat, naturalis legis scientia dictante :

Non vestes esse sed pudicitiam ornamenta matronarum. . . . .
Inhabitabiles autem sunt loci, in quibus gryphes hujus mundi custodiunt lapidem qualis aquilarum præferunt similitudinem et corpore ac pedibus instaurant leonem. Veniunt in pugnam contra eos monoculi quidam, Arimaspi nomine, qui oculum quem habent gestant in fronte; Smaragdum gryphibus auferunt per violentiam, bonam existimantes hujuscemodi rapinam . . . . .

His duodecim lapidibus status civitatis Dei in supernis mysterialiter est fabricatus, dignitatisque murorum et fundamenta tanta claritate radiant, quanta sanctorum merita ex eorum actionibus decorata coruscant. Hi sunt lapides vivi, quibus muri Hierusalem ædificantur, et de quibus scriptum est : Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus, quoniam omnibus Deum timentibus mysticas pretiosorum adeo delectabilis est claritas lapidum, quod in illorum contemplatione speculativa semper præsens imminet æterna glorificatio sanctorum. Plateæ hujus civitatis aurum sunt mundum, quia charitate plenæ sunt et sapientia, neque eas macula criminis inficit ulla.

EPISTOLA XL. — ADELIDEM, ABBATISSAM BERTHANGENSEM, DE ARMATURA CASTITATIS.

Incipit epistola Osberti de Clara, ad Dominam Adelidem, Berthangensis cœnobii abbatissam venerabilem, de armatura castitatis.

ACTIO GRATIARUM PRO PERCEPTORUM GRATIA BENEFICIORUM.

Inter illustres et cœlibes virginalis gloriæ dotes serenissimæ Dominæ suæ Adelidi, sincero ut creditur Spiritus Sancti consilio, sacris virginibus præsidenti, egregiæ Dei gratia virgini matri in Berthingensis congregatione cœnobii, Osbertus de Clara, amator virgineæ in Christo pudicitiæ æmulatorque ejus sanctimoniæ in choro virginum cœlesti, a Christo coronari laurea, et candidæ virginitatis incorruptibili ditescere palma.

Apponantur cum gratia et salute recentes hodie tibi deliciæ, ad quas, fœmina virtutis, ne formides manus extendere, quia nos hesterna solidasti refectione, refecisti mentem non ventrem, nec eduliis, sed obsequiis oneratum remisisti. Et

idcirco, Domina mea, comparasti tibi militem non inutilem, et amicum infatigabilem non ære sed amore redemisti. Quanquam et dextera mea tuis sit cumulata muneribus, et prætio largitatis tuæ et donativo resplendeat. . . . . .

Speculum virginitatis in beata Cecilia.

Clarissima virgo, imo generosa virago, beata Cecilia, quot fructus Domino dicitur peperisse, candida cujus virginitas rosea decoratur passione byssus et purpura indumentum ejus, quia carnem suam virgo sine macula integram conservavit, eandemque sanguine suo purpureo Angelorum regi et Domino dedicavit! Quia igitur pontificale non fœmineum in sancta prædicatione gessit officium, inter summos ecclesiæ Romanæ pontifices, donante Domino, sortita est sepulcrum. Nulla ante illam fœmina hujus prærogativæ dignitatem obtinuit, neque post illam obtinebit ulterius. Legisti de illa quomodo sub deauratis carnem suam silicio trivit induviis, quomodo in corde cantabat Domino cantantibus organis, quam familiarem Angelum sanctum habuerit, quomodo pauperes Christi benedictionibus suis in via Appia susten-

taverit, quomodo sponsum suum Valerianum cum Tiburtio fratre suo convertit ad fidem, quam virilis animi constantia evangelicam intonabat veritatem. Legisti etiam quanto superni amoris ardore beatum pontificem diligebat Urbanum, cujus vultum fratribus ostendit angelicum, et quos Christo lucrari poterat, per eum baptizatos transmittebat ad cœlum. Hæc sunt prædicanda insigniter illius admirabilis fœminæ opera, quæ fœmineam mentem non spirant, sed virilem constantiam in illius redoleant libertate. Idcirco utique et tota supra fœminam est, et per eam edoctus ruinam sexus potest vitare fœmineus. Hoc te instruere sacra scriptura fœminæ virtutis exempla non desinit, ut cum sanctis viris familiarem et religiosam parias amicitiam, sicut cum beato papa Urbano virginem peperisse legis gloriosam.

De incorrupta virginitatis gloria per beatam Etheldredam sacris virginibus exemplificata.

Plurima large satis ad manum habemus exempla, quæ, si repeterentur per singula, non epistola, sed prolixa volumina cuderentur. Tamen silere tibi nec audeo nec debeo quomodo beatissima

Etheldreda, incomparabilis virgo, in fornace Babylonis rore Sancti Spiritus irrigata, torrentis ignis non sensit incendium, quia flammantem carnis horrebat incestum. Nunquam auditum est de fœmina quod hæc fœmina experta est in seipsa. Primo enim, desponsata viro, innuba permansit et virgo; data in conjugium terreno principi, nupsit intemerata Angelorum regi. Inopinata enim morte vir ille præventus, intactam et immaculatam dereliquit quam sibi castus amor Christi, impolluto matrimonio copulavit. Regi deinde præpotenti sacramento conjungitur, sed nuptiarum usus carnaliter non expletur. Per annos duodecim ei ministravit, sed virginitatis fructum non perdidit. Exterior species circumferebat reginam, sed interea devotio humilem Deo exhibebat ancillam. Intuere igitur, filia Dei, quot cruces tam diuturno tempore pertulit, quot sibi tædia sponsus ille suus ingessit. Quum ille appeteret conjugem, et illa abdicaret voluptatem, quos conflictus, quanta sustinuit gloriosa virgo certamina! Quod majus in carne potest esse martyrium, quam abstinentia inter spinas deliciarum? Evasit tamen, evasit illibata de sæculo et

sacrificium suæ virginitatis flammeo velata insignivit Deo; ubi magna præcessit pugna. major successit victoria pugnanti. Quod utique decus hodieque in carne sua Christus ostendit, quæ dormienti similis in sepulcro marmoreo tota integra requiescit.

Recordatio beneficiorum sanctæ virginis Etheldredæ et quod ad regem profecturus Henricum debebat transfretare.

Hæc est Domina mea, hæc est regina mea, quæ me advenam et peregrinum excepit hospitio, ac utriusque vitæ pane refecit, et circumdedit vestimento. In baculo meo iterum transibo Jordanem, sed tanta interventrice apud Deum pro nobis suffragante, spero me cum turmis ad patriam meæ redire nativitatis. Ad sepulcrum ejus devotus accessi, solennes excubias humiliter celebravi, genua ante eam sæpius flexi, pavimentum quo decumbebam lacrimis irrigavi, abeundi licentiam flens et ejulans postulavi. Credo quod ejus meritis per æquorea salvabor discrimina, et gratia principis mihi in terra favebit aliena. Quem-

admodum in illa posita est opes mea, et ex ea pendet expectatio mea; ita est et erit fiducia mea, ut ipsa sit dux et consolatio mea. Nusquam enim in tribulatione positos consuevit relinquere, qui ejus solent auxilium fideliter invocare.

De visione quam, secundum figmentum poetarum, vidit Silvia, virgo Deæ Vestæ, et quomodo corrupta est a Marte.

Nec tibi tantummodo, filia Syon, ex filiabus Jerusalem sancti hujus propositi procreatur exemplum, verum etiam de filiabus Chaldæorum. Nec se solummodo prævias exhibent filiæ supernæ civitatis, sed apud gentiles utique filiæ Babylonis. Ex luto enim nunquam aurum colligimus, et pretiosam in sterquilinio margaritam invenimus. Legimus in annalibus Romanorum, Silviam, quam et alio nomine Iliam dicimus, virginem in templo Vestæ sacerdotem extitisse. Hæc, Numitore patre progenita, generositate præclari sanguinis præpollebat; quæ, quum Deæ et Dominæ suæ tanquam ministra fidelis obsecutura, ad ripam fluminis aquas peteret, ut sacra diluere ex con-

suetudine prævaleret, sicut scripserunt poetæ, secus murmur leniter sonantis aquæ substitit, et prægravante somno languida tota et fessa resedit. Cujus species a Marte visa, diuque ante concupita, tunc demum intercepta est, et fallente somno virgo corrupta. Concepitque gemellos ex divo semine filios, evigilansque somnium intellexit, quod faustum et utile futurum non dubitavit. Viderat enim se in templo Vestæ ante sacros ignes excubare, qui mechanica ex junipero arte conficti, Albanis videbantur esse perpetui. In eodem loco, ex capite suo visa est ei vitta defluere, duasque repentino ortu cernit palmas exsurgere, quarum altera major erat, totamque faciem orbis terræ frondibus et ramis circumdando prætexerat; cujus comæ adeo elatæ erant, quod magnitudine sui ad cœlos usque penetrabant; contemplansque patruum suum Amulium securim adhibere, ut eandem arborem deberet succidere, tantæ visionis imaginem miratur exterrita, quod per picum et lupam ab illa succisione stabat defensa. Aquas itaque virgo, sed non jam virgo, ad sacras ædes retulit, et quod in somniis viderat, referre non formidavit. Crescente itaque tem-

pore, crevere ventris onera. Quum dies accessit partu Silviæ insignita, geminos enixa parvulos peperit, hacque parturiente ara Dei tremuit, ejusque simulacrum virgineis oculis manus suas opponit. Exhorruit enim ad flagitium, et devirginatæ virginis dedignatur ad partum. Ad tantum quoque incestum ignis ille continuus suos subiit cineres, nec flammas ulterius emisit scintillantes. Amulius itaque, qui Numitori fratri suo regnum abstulerat, quum editos ex nepte sua Remum et Romulum comperisset, mandat Flaminibus infantes demergere, quod utique scelus undas legimus refugisse. Destituuntur nudi in humo sicca pueri, ibidemque eos lupa lacte suo aluit et picus avis martia cibos ministravit.

Expositio visionis juxta considerationem veritatis.

Sed ad historiam iterum redeamus, et ad rei veritatem jam vertamus animum, ut colorata evacuentur mendacia poetarum. In templo Vestæ erant virgines ejus obsequiis adhærentes, ut tali discamus exemplo colligere, quod gentiles etiam delectabantur vitæ munditia et castitate. Quia

ergo philosophi nihil aliud Vestam intelligebant quam flammam, eo quod ignis virgo est, et ex illo nulla substantia nascitur, idcirco nulla in ejus obsequio nisi virginitate insignita locabatur. Corrupta est itaque virgo a Marte, non imagine somnii sed veritate. Deinde impregnata vidit somnium, quod maximum in prole præfigurabat augmentum. Quod flammeum ejus de capite decidit, virginitatem in illa deperisse nuntiavit. Arbores palmarum quas viderat, Remus et Romulus erant, vel illi duo præclari Cæsares ex genere Romuli descendentes, Julius et Augustus. Quod palma major altera videbatur. altera minor, non sine certi factum est causa mysterii: mysterium autem suum in suis etiam inimicis nonnunquam Spiritus Sanctus ostendit. Palma itaque, quæ sui magnitudine cœlos tangebat, Romulus innuitur, ex cujus nomine Romanæ urbi nomen inditum fuisse memoratur; Roma autem totius orbis est Domina, universarum urbium imperatrix augusta, quæ frondibus et ramis, sanctis videlicet Apostolis et martyribus totum mundum complectitur, et signorum magnitudine ad cœlos usque sublimatur. Palmæ vero minoris

nomine Remus significatur, qui leges a Romulo institutas transgrediens morti adjudicatus in Aventino monte fratris imperio condemnatur. Minorem iterum palmam Julium Cæsarem dicimus, qui quanquam gloria militiæ famaque et probitate magnus extiterit, in comparatione Augusti quemadmodum parvus fuit. Augustus autem in arborem immensam crevit, quæ totam faciem terræ frondibus suis circumdedit, quia tanta pace totius mundi perfudit latitudinem, quod in diebus suis de gladio et lancea quisque sibi vomerem conflaverit et ligonem. Eo imperante, mundus est descriptus, orbisque sibi sensum profitetur universus, cujus quadragesimo secundo imperii anno in Bethlehem civitate David, de matre virgine natus est Christus, qui et verus cum Patre et Sancto Spiritu ante sæcula Deus extitit, et homo in fine sæculorum nostra mortalitate indutus apparuit. Qui non certa veritate dictus est Augustus, quoniam pax illius tantum et tam inæstimabile de cœlesti pace suscepit augmentum, quod sacræ virginitatis semina, quæ in terris nequaquam antea convaluerant in carne Dei et hominis incorruptibile acceperint incrementum.

Aliud itaque Cæsaris Augusti vocabulum, ab Octavia Octavianus dicitur, neque a mysterio vacare ejus significatio æstimatur. Ubicunque enim titulus psalmi scribitur pro octava, ibi resurrectionis nostræ certa requies designatur et gloria. Sub imperio ergo Octaviani Cæsaris, qui et Augustus dicitur, bene nascitur Christus, cujus nativitate renati sumus ad vitam et cum illo in octava resurgemus ad novorum corporum immortalitatem et gloriam. In sexta enim laboramus, in septima requiescere, in octava autem glorificatæ carnis novo splendore reflorebimus. Secundum quod de visione Silviæ sentire potui utriusque palmæ significationes expressi. Sic frondibus et ramis visa est silvescere, et altera in sui parvitate diminuenda constare. Quia propter exæstuantem deformis lucri cupiditatem et propter intemperantiam in venereos usus exardescentem, meretrices merito lupæ nominantur. Acca quæ et Laurentia, quum meretrix antea impudica extiterit, in silva repertos lacte suo fideliter infantulos enutrivit. Avis autem martia, conjux Laurentiæ. Faustulus erat, qui de matre progenitis vitæ subsidia ministrabat. Hæc igitur sunt picus avis et

lupa, quibus tutoribus a succisione stabat arbor illæsa, quia Faustulus et Acca fuere præsidio ne Romulus per Amulium mortis subjaceret detrimento..

Comprobatio per Gentilium exempla quod carnis integritas sit diligenda.

Ecce vides, o præcellentissima superni principis sponsa, quomodo, etc. . . . .

Qualiter forma Judith spiritualiter sit intuenda, et contra hostem antiquum obtinenda victoria.

Ingredere proinde secreto cubiculum animæ tuæ, etc. . . . .

De duabus sanguisugæ filiabus, quæ animas fidelium lacerant.

Ecce hæ sunt duæ filiæ sanguisugæ dicentes : Affer! affer! Avaritia videlicet et luxuria, quæ, etc. . . . .

De triduana mansione Judith.

Mansit, inquit scriptura, Judith in castris triduo. et, etc. . . . .

Quibus vestibus sit ornanda in victorioso certamine virginitas gloriosa.

Si ergo ad hanc civitatem Dei viventis cum triumphalibus signis coneris ascendere, etc. . . . . Pura hominis meditatio sub viri nomine mystice describitur; infirma vero cogitatio mulieris titulo prænotatur. Bona vero opera ad masculum referimus; actus autem noxios sexus inferioris charactere figuramus; unde poeta,

Varium (inquit) et mutabile semper fœmina.

De hospitalitatis gratia exempla sanctorum patrum imitanda.

In lectulo meo, inquit, per noctem, etc. . .

Quomodo carnis munditia eleemosynarum operibus sit comitanda.

Date eleemosynam, etc. . . . .

De operibus misericordiæ.

Prius ergo in te exerce actus misericordiæ, etc. . . . .

De spiritualibus animæ vestimentis.

Audi quid Joannes Apostolus dicat, etc. . .

De spiritualibus epulis et de spirituali gladio, quo conterendus est inimicus.

His ita decursis, redeamus ad materiam, etc.

De quadriga qua beata Ethelberga elevata est ad supera.

Satis et satis habes in monasterio tuo quotidie præ oculis cujus sanctitatis opera præcordialiter imiteris, gloriosa et insignis et pretiosa sponsa summi regis Ethelbergæ, etc. . . . . . .
Quæ sancti pontificis Erkenwaldi germana, dum fraternum in vivis operibus æmularetur studium, cœlestis obtinuit militiæ triumphum, etc. . . . . Qui vitam ejus plenius cupit addiscere, legat quod Beda in historia gentis Anglorum luculento de ista stilo contexuit, et quanti sit apud Deum meriti, scire sine dubio prævalebit. Secundum etymologiam nominis ejus resplendent in mundo opera ejus. Anglice enim Ethelberga civitas dicitur nobilis vel regia, etc., etc. . .

EPILOGUS TOTIUS OPERIS ET COMMENDATIO AUCTORIS.

Quia tibi lucidum illustris fœmina, etc., etc.
. . . . [*usque ad finem*] Amen!

POEMA

AD

REGEM HENRICUM SECUNDUM.

Dux illustris Normannorum
Et comes Andegavorum,
Pictavorum damnator,
Turonorum propugnator,
Cujus nutu vibrant enses
Populi Cenomannenses,
Anglorumque plebs turbata
Gratulatur pace data;
Tibi cœtus cœli plaudit,
Te victorem Deus audit,
Quum sis nepos magni regis
Per quem stetit summa legis;
Illius jam præfers nomen
Cujus tibi ridet omen.

Velint nolint inimici,
Hæres ejus potes dici
Magnitudine virtutis
Per quem crevit lux salutis,
Et redemptio multorum
Hoc in regno captivorum.
Erant ante venatores
Quorum tales scimus mores :
Pecudes haud ambiebant,
Homines at capiebant,
Redimentes eos dure,
Sine lege, sine jure,
Donec Deus te reduxit
Per quem nova lux illuxit,
Dum libertas celebratur
Servitusque profligatur.
Annus reddit jubilæus,
Quo respexit regnum Deus,
Innocens ut glorietur
Et reus exterminetur.
Mitibus es mitis agnus
Et tyrannis leo magnus,
Et qui corde sunt opaco
Eos terres quasi draco;
A supremis Orchadarum
Finibus es insularum,
Alpes usque divulgatus;
Dux a Deo nobis datus,
Roma tibi gratulatur
Et Apulia lætatur;
Siculæque gentes ovant
Italique plausum novant.

De te gaudet omnis mundus
Et fit pro te lætabundus.
Corruerunt ut castella,
Sævit fervens haud procella;
Grates tibi, fures multi
Delitescunt, jam sepulti;
Et prædones exterrentur,
Ut insontes glorientur
Qui superbi fremuerunt
Pauperesque depresserunt.
Ingemiscunt nunc afflicti
Et terrore tuo victi;
Sermo tuus pravos scindit
Et ut ensis illos findit.
Qui justitiam non colunt
Et qui sponte flecti nolunt,
Ab elatione sua
Curvat hos formido tua;
Et mitescunt sic potentes,
Ut disperdant haud egentes.
Dives quondam gazis plenus
Nunc plus gemit quam egenus,
Et qui solet imperare
Cogitur nunc supplicare.
Angelusque quum sis Dei,
Per te splendet lux diei,
Et quæ regnum nox depressit
In adventu tuo cessit.
Sol æternus radix David
Tuos actus illustravit,
Et ubique manet tecum
Quia colis jus et æquum.

Muri Jericho ruerunt
Buccinæ dum sonuerunt,
Quum levitæ circuibant
Sacerdotesque præibant;
Sic Pontifices egerunt,
Qui de pace tractaverunt.
Hoc consilio potentes
Crudeles stravere gentes,
Quorum corruerunt muri
In æternum perituri.
Vincit, regnat in te Deus,
Imperatque plastes meus.
Vivas ergo sine fine,
Quia non nos terrent minæ,
Nec ingluvie raptorum
Vorat escas orphanorum.
Sceptrum regni consequeris
Beatusque princeps eris,
Quum in vertice suprema
Cingit caput diadema.
Tunc applaudent cœli cives,
Plaudet pauper, plaudet dives,
Teque sanctum dicent regem
Qui sectantur Dei legem.
Reges Jerusolymorum
Te condecorant decorum.
Tui patruus et avus
Quibus cedit quisque pravus;
Fama sonat laude bona,
Capta quod sit Ascalona;
Babylonque confundetur
Et Damascus capietur

Hique proximi sunt tibi
Qui sic nunc triumphant ibi.
Tribulantur Saraceni
Immenso dolore pleni,
Et exultant Christiani,
Cultus casu jam profani.
Rex Christus per genus tuum
Sic conservat locum suum,
Sepulcrique sancti decus
Haud delebit error cæcus.
Hoc edoctus es exemplo,
Ut ubique Dei templo
Per te jam sit restauratum
Quod lugebat plebs ablatum.
Jerusalem novam fundas,
Hocque regnum totum mundas
A spurcitiis eorum
Servi qui sunt idolorum,
Et argentum ambientes
Multas occiderunt gentes.
Vir Horatio Mæcenas
Amoris laxans habenas,
Suo tempore dilexit
Et in multis hunc provexit;
Et Virgilius, venusto
Carmine gratus Augusto,
Auctus est mercede bona,
Ampla satis sumens dona.
Josephus spe non inani
Filium Vespasiani
Titum colens liberatur
Servitute qua gravatur.

Ergo manum dans Osberto,
Hunc gaudere fine certo,
In afflictione sua
Fac protectione tua,
Ne ecclesia gravetur
Cui præesse se fatetur,
Quam deprimere conantur
Qui perverse malignantur.
Pax sit tecum, victor clare,
Qui scis ita triumphare,
Ut sit regnum regnum pacis
Ensis tui vi minacis.
Christus auctor veræ pacis,
Per quem nobis pacem facis
Tibi regnum dans supernum
Te conservet in æternum.
Nutrix mundi, larga Ceres,
Gaudet tibi quod sit hæres
Potens post te qui regnabit,
Et ex poste triumphabit;
Lineaque stirpis claræ
Nesciet degenerare,
Sed sicut processit a te,
Sic sequetur probitate
Cujus honor genitricis
Est memoriæ felicis,
Quia nulla laude pari
Illi potest coæquari,
Tam prudens et generosa
Tam est decens et formosa.
Vincat omnes ut splendore
Quæ in mundo sunt decoræ.

Salvet Christus auctor rerum
Speculum hanc mulierum,
Sobolemque divæ prolis
Lustret splendor veri Solis.
Septem quondam sapientes
Si nunc essent inter gentes,
Magna de te et de tuis
Intimarent scriptis suis.
Apollo si te videret,
Novem Musas adhiberet,
Decachordum temperaret,
Tuas laudes personaret.
Orpheusque tangens lyram,
Amoveret fel et iram
Faceretque quercus loqui.
Te ducem juris et æqui
In te cuncta quæ completa
Speculamur fronte læta,
Qui brutorum das naturam,
Ut hoc fiat per figuram.

ELMERI

PRIORIS CANTUARIENSIS EPISTOLÆ.

EPISTOLA I. — AD ANDREAM ABBATEM.

Venerando Domino ac reverendo patri Andreæ, glorioso abbati, frater Elmerus, extremus monachorum ecclesiæ Christi Cantuariæ, præsentem vitam tranquilla prosperitate transire, et futuram cum beata felicitate possidere.

Nota satis res est, quod quanto quisque subtilius, propriæ memor debilitatis, virtutes quibus salutem mereatur sibi deesse considerat, tanto studiosius necesse est ut eorum quos per sublimem vitam Deo appropinquare cognoverit, patrocinia requirat. Fama igitur, venerande pater,

bonitatis vestræ per dilectissimum Dominum meum, cognatum vestrum, præsentium latorem, Balduinum, tam vitæ quam ingenii laudabilis clericum, mihi notifica; omnem mentis meæ vigorem in venerationem et amorem vestri fortiter excitavit. Nec ignoratio vultus vestri, quem nunquam vidi, amorem meum ergo vos minuit; quia talem vos esse credo, qualem me ipsum esse desidero : nam amore justitiæ vos spero flagrare; quod ut ego, quandoque Sancti Spiritus favente gratia, facere valeam, vos peto ut pro me orare dignemini. Neque enim idcirco meipsum minus amo, quia corporalem faciem meam non video; igitur etsi tegumentum animæ vestræ videre non possum, quod est mortale corpus, ibi vos intueor ubi immortalem bonitatem in vobis vigere credo et firmiter spero, propter quam vos diligo. Suscipiat ergo pietas vestra, desideratissime pater, in munus sanctarum orationum vestrarum me pauperem et indignum, et omni virtute destitutum; ut misericordiam conditoris quam a me mea removet iniquitas, vestris precibus placata illius mihi conferat benignitas. Nam gemens ac suspirans dico, quod misera mens mea quæ ad superna

contemplationis gaudia libero et tranquillo gressu transire deberet, tantis perturbationum fluctibus quatitur, ut nihil inveniat unde aliquo solatio foveatur. Plures jam anni transierunt ex quo mundo renunciavit, et adhuc mundanis vanitatibus implicatum esse se sentit; quamobrem, gloriose pater, ea familiaritate qua vos coram Deo florere confido, pro me infelici apud eum intercedite ut me a perniciosis perturbationibus liberet et contemplationis suæ gaudiis tranquilla mente frui concedat. Omnipotens Divinitas summæ beatitudinis amore flagrantem animam vestram ad utilitatem et honorem sanctæ ecclesiæ suæ per longa tempora incolumem custodiat, suæque visionis gaudio dignam exhibeat, dilectissime ac multum in Christi gratia desiderande atque amplectende pater.

EPISTOLA II. — Ad Henricum.

Amabili et fideli Dei famulo Henrico, frater Elmerus Christianorum minimus, desiderio divini conspectus insatiabiliter adhærere.

Licet, dilectissime, dulcedinem vestram præsentialiter nosse nequaquam meruerim, miseri-

cordia tamen Dei succurrente infirmitati meæ, jam mihi tam nota est probitas vestra, ut vestri amore et desiderio se satiare non possit anima mea. Benedicta in omnibus gratia pii conditoris, qui fideliter sibi servientes sic honorat largissimo munere sui beati amoris; augmentum talis devotionis multiplicet Spiritus Sanctus semper in moribus vestris. Beata mens illa, quæ in hac adhuc valle plorationis constituta, sic in superna illa gaudia desiderando se elevat, ut omnem sancti affectus cessationem declinet, donec ad illa pertingat. Tale namque studium terrenis tumultibus non variatur, nec humana vel laude extollitur, vel vituperatione concutitur; animus enim internæ dulcedinis suavitate repletus, sic jam prægustatæ dulcedini inhiat, ut nullis exterioris perturbationis passionibus succumbat. Quamobrem, cum ferventissimo sanctitatis amore mentem vestram plenam esse confidam, submissis precibus supplico bonitati vestræ, ut peccatrici animæ meæ sanctis precibus vestris succurrere, et me, licet indignum, in aliquam partem familiaritatis vestræ suscipere dignemini : quatenus bona si quæ nobis miseratio divina conferre dignetur, ita per sancti

amoris jungantur affectum, ut in æterna gloria animæ nostræ sociatæ gaudere mereantur. Amen.

EPISTOLA III. — AD TURSTANUM ARCHIDIACONUM.

Venerabili archidiacono Turstano, frater Elmerus, minimus monachorum ecclesiæ Christi Cantuariæ, infatigabili desiderio cœlestibus inhærere, et interminabili gaudio in iisdem plena felicitate gaudere.

Memor, dilectissime, dulcium lachrymarum quas inter colloquia meæ parvitatis profudistis, dum de miseriis vitæ præsentis sermo texeretur, eo magis voluntatis vestræ me cognosco debitorem, quo bonitatem vestram erga me in pura dilectione considero esse majorem. Huc accedit quod supra vires proprias petitioni vestræ obtemperare contendo, dum ea quæ mihi scribenda injunxistis, quomodo exprimere dispono; succurret enim mihi pium desiderium vestrum ubi meum deficere videbitur ingenium. Petivit itaque dilectio vestra aliquid sibi a me describi, unde perpendatis et vitam vestram secundum beneplacitum vivi ac veri Dei melius dijudicare atque

componere, et commissarum vobis animarum curam instructius exercere; quod nimirum quam præsumptuosum sit, meliori scilicet legem tradere et sapientiori doctrinam proponere, quilibet rationi cedens facile potest advertere, ... videlicet MUNDITIA CORDIS, DISCRETIO JUDICII, AFFABILITAS IN SERMONE, AMOR LIBERALIS, PROSECUTIO JUSTITIÆ, VIGOR DISCIPLINÆ, DOCTRINÆ STUDIUM, CURA PAUPERUM, et ERGA DEBILES VEL MENTE VEL CORPORE MANSUETA ET CHARITIVA COMPASSIO.

DE CORDIS MUNDITIA.

Munditia namque cordis vobis, qui aliis ad vitam consulere debetis, valde necessaria est. . . .

DE DISCRETIONE JUDICII.

Sequitur itaque de discretione judicii . . . [*ad finem hujus partis epistolæ poetam quendam citat his verbis*]. . . Unde egregie in laude cujusdam probi viri dictum :

Extitit hic magnus, duris leo, mitibus agnus.

DE AFFABILITATE SERMONIS.

Affabilitas autem in sermone. . . . . .

De liberali Amore.

Sed quid prodest si sermone affabili alios ad amorem, etc. . . . .

De Prosecutione justitiæ.

Ad hæc valde necessaria est prosecutio, etc.

De Vigore disciplinæ.

Vigor quoque, etc. . . . .

De Studio doctrinæ

Tunc autem vigorem disciplinæ, etc. . . . .

De Cura pauperum.

Sed quid prodest si fideles, etc. . . . . .

De Compassione.

Huic quoque operi diligentia illa adhibenda, etc. Breviter igitur his quæ ad vitæ vestræ ornatum pertinent explicatis, considerandum est qualiter alienæ vitæ consulendæ intendere debeatis, etc. . . . [*usque ad finem epistolæ*].

EPISTOLA IV. — AD RICARDUM.

Incipit epistola de bono vitæ claustralis Domino merito honorabili et piæ dilectionis affectu sublimiter amplectendo, fratri Ricardo, venerabili filio ecclesiæ sancti Pancratii, frater Elmerus, suæ dilectionis servus, in præsenti sancte et in futuro beate vivere.

Num quidnam, carissime, charitatis jura præcipiunt cuilibet aliquid supra vires injungi debere, cum imbecillum debilitati condescendere ad ejus leges videatur pertinere? Quid ergo sibi vult quod dilectio vestra parvitati meæ præcepit aliquid de claustralis vitæ bono tractare, quum constet me talis vitæ nec extrema gustasse? an attendistis, quia sæpe præbet obedientia quod non conferunt merita? Et quidem me vobis obedientem esse debere charitas clamat, quæ non sua, sed quæ aliorum sunt, quærit Quamobrem, gratiæ pii conditoris et vestris orationibus sensum nostrum committens, dabo pro posse operam vestræ parere jussioni, si quo modo obtemperanti mihi obediendi devotio tribuat quod propria imperitia denegat. Videtur itaque mihi claustralis vita

quoddam esse vestiarium animarum, ubi animæ sæculo renuntiantes, vestiuntur et ornantur, ut ad supernum altare digne accedere mereantur. Nam sicut sacerdos ad altare nón præsumit accedere, ut conficiat corpus Christi, nisi vestibus eidem ministerio congruis fuerit redimitus, ita humana anima gloriæ illius sublimis altaris non valet assistere, nisi dignis virtutum ornamentis fuerit decorata. . . . . : Ad frequentanda igitur missarum solennia, hæc, ut simplicibus verbis exprimantur, necessario sunt habenda : amictus videlicet, alba, cingulum, manipulus, stola, casula. Sine his vestimentis sacerdos missam non celebrat. . . . . . .
Primo itaque notandum quia sacerdos, his oronandis vestibus, in primis amictum capiti imponit, deinde albam superinduit, quam statim cingulo stringit . . . .
post cingulum manipulus sumitur, per quem opera bona designantur. . . . .

Ne autem opera bona murmurando faciamus. stola jocunditatis manipulo est socianda . . .

His vero indumentis omnibus casula superponitur, ut ad ornatum charitatis omnia referantur.

. . . .

EPISTOLA V. — Ad Nicolaum Glocestrensem.

Sincerissimo Dei famulo, suo autem Domino carissimo, Nicolao Glocestrensi, frater Elmerus, extremus fratrum ecclesiæ Christi Cantuariæ, Deo in omnibus placere.

Ex litteris benedicti Gregorii Domini mei dulcissimi magnum vos erga me amorem habere percepi; unde multum gaudeo, licet indignus sim amari ab aliquo religioso, et Deo ac vobis pro tali amore, quas possum gratias ago. Licet autem condignam amori vestro vicem reddere nequeam, ad indicium tamen amoris mei erga vos has vobis meditationes, quas peccata mea considerando dictavi, transmitto; ubi si aliquid positum est quod in corde legentis amicam sanctis mentibus compunctionem valeat excitare, etiam vestræ devotioni famuletur. Obsecro autem dulcedinem vestram, ut quum in his meditationibus, quibus miseriis sim involutus videretis, me mecum defleatis, et ne a misericordia Dei multiplicibus peccatis meis exigentibus excludar misericorditer oretis. Omnipotentis Dei clementia dilectissimam mihi animam vestram suo regno dignam

efficiat, desiderantissime Domine atque carissime frater. Amen.

INCIPIT EXCITATIO MENTIS IN INQUISITIONEM DEI.

Usquequo, Domine, obliviscerismeinfinem? etc.

INCIPIT QUERIMONIA DE ABSENTIA VULTUS DEI.

Non sufficit, Domine, non sufficit peccatrici, etc.

EPISTOLA VI. — AD WILLELMUM.

Domino ac patri suo dilectissimo Willelmo frater Elmerus, dilectione et servitii devotione suus, spiritualibus profectibus infatigabiliter inservire et ad beatorum spirituum societatem feliciter pervenire.

Desiderio mentis vestræ, quod amor vitæ æternæ, venerande pater, copiose replevit, parere desiderans, ea quæ vestræ dulcedini, quum apud vos essem, promisisse me recolo, ea, qua vos plurimum in Christi visceribus amo, vobis devotione transmitto. Promisi enim dilectioni vestræ, secundum quod cor vestrum desiderare cognovi, quandam sententiam, quam me habere præcepis-

tis, cujus assidua meditatione mens vestra ad desiderium patriæ cœlestis accenderetur, me quum domum venirem scripturum vobisque missurum. Faciam igitur quod promisi, etc. . .

EPISTOLA VII. — AD. . . . . .

Incipit epistola de fuga sanctorum, id est qualiter inter mala mundi pericula nostrarum fugiamus animarum, et ad divinam clementiam confugiamus.

Tertius, credo, jam annus est, venerande pater, quod dulcedini vestræ quoddam juxta desiderium vestrum scriptum transmittens, prolixius aliquid me vobis scripturum promisi . . . . . .
Quid igitur faciam? nam meo in Dei amore amico me scripturum promisi, quem utique tanto me conspicio superiorem, quanto non solum illo, sed et quolibet infimo Christiano me cognosco inferiorem.

EPISTOLA VIII. — AD GAUFRIDUM.

Beati regni fervido amatori Gaufrido, frater Elmerus, in terris semper cœlestia sapere et in cœlis æterna gaudia sublimiter percipere.

Olim quidem dilectioni vestræ quædam transmittenda dictaveram, sed priusquam mitterentur, dum vestros egregios versus susciperem, non adeo mihi curæ fuit dictis egregiis scriptis vilibus respondere. Illud tamen philosophicum attendens quo dicitur : Non æquum judicat, qui inter impares paria vult officia exigere, versibus vestris dictandi munere cupio respondere, etsi non pari laude, certe non otiosa devotione. Quod enim in sapientiæ gratia impares simus, ex eo satis elucet, quod vestrum subtile ingenium incomparabiliter meæ supereminet hebetudini. Quum igitur in hac parte par vobis officium nequeam redhibere, hoc omnimodis curabo, quo dilectioni vestræ non imparem dilectionis affectum non negligam exhibere. Itaque juxta illud Sapientis : Liceat inter olores sonoros anserem strepere. Malo enim etiam inter luscinios cantus vel raucus

crocitare, quam vestræ benevolentiæ minus devotus apparere. Vestros igitur versus gratanter suscepi, lætius legi, dulcius relegi; in quibus erga me tam sincerum vos habere percepi amorem, ut me vestræ dilectioni non immerito fatear perpetuum debitorem. Quibus idcirco prosa respondeo, quia et charitas vestra me diutius vobis loqui compellit, et diffusa oratione scribere versificandi districtio non permittit. . . . . .

. . . .

Hic itaque stylus noster quiescat, quum mens in vestra dilectione quiescere nesciat, sed magis in dies illam in se augere contendat. Licet enim verba cessent, nunquam cessabit erga vos nostræ dilectionis affectus. Orantem pro me servo vestro sinceritatem vestram superna gratia in omnibus et ubique custodiat, amice dulcissime ac dilectissime frater.

EPISTOLA IX. — Ad Giffardum.

Venerabili viro ac dilectissimo amico suo Giffardo frater Elmerus, extremus fratrum ecclesiæ Christi, mutabilis vitæ fallaces sapienter blanditias contemnere, et vitæ incommutabilis permanentem beatitudinem feliciter possidere.

Quam jocunda, quam suavia sint charitatis vincula, ex eo satis apparet, quod nulla intercapedo terrarum, per quamlibet disjunctionem corporem mentes eorum separat. Numquid enim dilectum meum Giffardum idcirco minus diligo, quia eum præsentia corporali frequenter videre non valeo?

. . . .

EPISTOLA X. — Ad Hugonem militem.

Desiderato ac dilecto amico suo Hugoni militi frater Elmerus, minimus fratrum ecclesiæ Christi Cantuariæ, sempiternam in Christo salutem.

Gratias multimodas ago dulcedini vestræ, carissime, quia cor vestrum a memoria et amore nostro nec maris profunda spatia dividere possunt;

quod dulciter ostenditis, quum per nuntios vestros de nostro esse requirere studetis. Breviter igitur de nostro esse respondeo, quia mecum valde bene est, si vos statis in Domino. Nam si bonitas et Christiana devotio in moribus vestris crescit, summo gaudio de vobis anima mea exultat. Profectus enim vester tam coram Deo quam coram hominibus, præcipua mihi prosperitas est et jocunda lætitia. Bene itaque meum est, quia dilectissimum meum Hugonem prospere et religiose se habere desiderata sui nuntii relatione cognovi. Rogo igitur, dulcissime, et moneo dilectissimam mihi animam vestram, ut sic Christiane vivatis, quo sine fine cum Christo regnare possitis. Ponite semper ante oculos cordis vestri exitum vestrum de hac vita, gaudia sanctorum et pœnas impiorum, ut quando de hoc mundo exibitis, a malorum societate disjungi, et sanctorum choris in cœlesti patria valeatis conjungi. Estote solatium pauperum, defensio pupillorum, protectio viduarum; hospitalitatem diligite, eleemosynas erogate, ecclesiæ limina frequentate, servos Dei diligite, ut orationum illorum particeps esse possitis. Super omnia sinceram charitatem erga om-

nes firmiter habete. Hac agite, et Deus pacis erit vobiscum. Vale, dulcissime.

EPISTOLA XI. — AD AVITIAM.

Dilectæ in Christo sorori Avitiæ frater Elmerus, extremus omnium timentium Deum, temporalem vitam perfecte Christum desiderando transire, et æternam vitam, quæ ipsa est sine fine, gaudendo possidere.

De dulci conversatione tua et desiderio cordis tui, quod in amorem Christi Spiritus Sancti gratia dignanter excitavit, venerabilis negotiator et devotus religiose viventium amicus Algarus mihi diligenter narrando, animam meam valde lætificavit. . . . . . Nunc ergo, cara soror, licet nunquam faciem tuam viderim, nec me in hac vita visurum sperem, aliquid quod sanctam animam tuam in proposito religiosæ conversationis edificet, prout super memorato amabili viro promisi, scribere curavi; non quid meis scriptis egeas, quæ de sanctorum patrum fontibus spiritualem doctrinam sufficienter bibere potes . .

. . . .

EPISTOLA XII. — AD THOMAM.

Amabili, honestæ vitæ dilectori Thomæ, frater Elmerus, omnium religiosam vitam profitentium extremus, suæ autem dilectionis servus in hac egena vita, beatam vitam super omnia diligere, et in interminabili vita omni egestate sine fine carere.

Dici non potest, dilectissime, quanta lætitia gratuletur cor meum, quove gaudio repleantur omnia intima mea, de pio desiderio dulcissimi cordis vestri, quo sublimi intentione mentem vestram sic superno amori dedicastis, ut alicui terreno amori amodo nullatenus servire velitis. . . . . Si vobis est cordi lapsum vitare, nolite juxta labiles ripas fluvii sæcularis incedere, quia, ut in Virgilio legere potestis : Non bene ripæ creditur. . . . .

Rogo igitur, carissime, ut prudens mens vestra poeticum illud attendens, quo dicitur :

> Pronaque quum spectent animalia cætera terram,
> Os homini sublime dedit, cœlumque videre
> Jussit et erectos ad sidera tollere vultus.

dignitatem suæ conditionis perpendat, etc. . . . . festinanter venite; semper enim nocuit differre paratis. . . . . . .

EPISTOLA XIII. — Ad Robertum.

Dilectissimo ac desideratissimo in Christo fratri et amico suo Roberto frater Elmerus, suæ dulcedinis fidelis dilector, dum terrena inhabitatione constringitur, divinis conspectibus grato sanctitatis ornatu florere, et post temporalem vitam in illa cœlesti patria pleno sempiternæ beatitudinis fructu sine fine gaudere.

Dici non potest, dilectissime, qua dulcedine, etc., etc. . . . .
Cum amore vitæ præsentis nullo bono boni mores perfecte poterunt custodiri. Quod non solum Scriptura Sacra, sed etiam philosophorum libri testantur. Unde est illud Ciceronis in Rhetoricis suis : Qui nihil (ait) habet in vita jocundius vita, hic cum virtute non potest vitam colere. .

. . . .

EPISTOLA XIV. — Ad Hugonem.

Carissimo ac dilectissimo Domino et amico suo Hugoni, honorando militi, frater Elmerus, suæ salutis ferventissimus desiderator, in terris religiose vivere, et post terrenam vitam in cœlo cum angelis sine fine regnare.

Cognoscens, dulcissime, per præsentium latorem, quia prospere se habet dulcissima mihi anima vestra, immensas Omnipotenti Deo gratias ago, etc., etc. . . . .

EPISTOLA XV. — Ad Edgivam.

Honorabili ancillæ Christi Edgivæ frater Elmerus, Deo famulantium minimus, fallaces hujus sæculi vani oblectationes toto mentis annisu contemnere, et adversa gaudia futuri sæculi pleno cordis desiderio anhelare.

Quod absens et ignotus tibi scribo, fama tuæ probitatis effecit, quæ te beatæ vitæ desiderio

mundo prædicat rcnuntiasse. . . . .
. . . . [*usque ad finem epistolæ.*]
Sequuntur verba : Reliqua desiderantur.

CAROLUS REX.

SERMO, UT VIDETUR EJUSDEM ELMERI.

In illo tempore factum est, quum loqueretur Jesus ad turbas, extollens vocem, quædam mulier de turba dixit illi : Beatus venter qui te portavit et ubera quæ suxisti.

Ordo misericordiæ Dei, fratres dilectissimi, qualiter se ad nos sublimis illa majestas dignata est inclinare, etc. . . . .

. . . .

ERRATA.

Page 8,	line 12.	for	angilis,	read :	angelis
» 14,	» 8.	»	sinseparabiliter,	»	inseparabiliter
» 21.	» 10.	»	conciatibus.	»	cruciatibus
» 26.	» 16,	»	et :	»	et
» 26.	» 17,	»	Omnis,	»	omnis
» 30,	» 23.	»	Norwicensensem,	»	Norwicensem
» 76,	» 19,	»	pacentantes,	»	parentantes
» 180.	» 9.	»	Cantariensem,	»	Cantuariensem